

www.e-rara.ch

Disputatio theologica de ignorantia

Spiess, Modestus

Typis Monasterii S. Galli, 1644

Stiftsbibliothek St. Gallen

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-133077>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
IGNORANTIA,

Quam
Mense Augusto, die

IN MONTE DIVÆ VIRGINIS ROSACI,

PRÆSIDE

AD^M R. P. MODESTO Spiess, ibidem
Priore, SS. Theologiæ Licentiatō,
& Professore Ordinario,

Publicè propugnabunt
REVERENDI ET RELIGIOSI
Fratres

IACOBVS à Tschernemmel,
SIMON à Freiburg,

Ad S. GALLI Professj, SS. Theologiæ & SS. Cano-
num Studiosi.

Typis Monasterij S. GALLI.

Cum facultate Superiorum.

ANNO MDCCCXLIV.

PIO
REVERENDISSIMO
ANTISTITI,
ILLVSTRISSIMO
SACRI ROMANI IMPERII
PRINCIPI,
MONASTERIORVM EXEMTORVM
S. GALLI
ET
S. IOANNIS
IN THYRÆ VALLE
AMPLISSIMO, DIGNISSIMO
ABBATI,
IN CHRISTO
CHARISSIMO, OPTIMO
PARENTI.

REVERENDISSIME

Pater,

ILLVSTRISIME

Princeps,

BIENNIVM iam est, cū nos vnā cum aliis prius à TE Religioni genitis filiis, Rosacum, vt Theologiam Scholasticam & SS. Canones disceremus, misisti. Quid profecerimus, specimine isto de Ignorantia, ex vtrāque facultate desumpto, primi ad TE redimus. Itāne de *Ignorantia*, inquires? Malum omen. Imò verò hæc ipsa *Ignorantia* est; quam ILLVSTRISIMA CELSITVDO TVA nos iussit non querere quidem, sed fugere, non sequi sed persequi. Comprehendimus ergo illam, quanta quanta est, & Inuincibilem etiam illam vinctam CELSITVDINI TVÆ ILLVSTRISIMÆ quasi in triumphum ducimus, non paruo nostro, vt speramus, in futurum bono, fortè etiam aliorum: Plurimi enim sunt, qui se scientes existimant, & tamen in vtrōque foro plurimos quo-

quotidie errores committunt; semetipſos ſcilicet & alios ſine neceſſitate grauant, atque affligunt, quia *Ignorantiæ* naturam & vires ignorant: ſcientiores futuri, ſi plus *Ignorantiæ* ſtudendum putaffent. Quare fauſto potiùs omine laborem hunc noſtrum accipe, & bene de ſtudio noſtro Roſacenſi ſpera, nam eradicatâ *Ignorantiâ*, *Scientia* feliciùs effloreſcet, præſertim ſi quo cœpiſti, clementiæ tuæ calore illud fouere non deſinas. Deus ter Opt. Max. ILLUSTRISSIMAM

CELSITVDINEM TVAM quam diutiſſimè ſeruet incolumem. Ita ex animis vouemus. Roſaci

Idibus Auguſti. Anno reparatæ ſalutis,
M. DC. XLIV.

Reuerendiſſimæ atque Illuſtriſſimæ
Celſitudinis Tux

in Chriſto

Obſequentiſſimi Filij

F. IACOBVS à Tſchernemmel.
F. SIMON à Freiburg.

DISPUTATIO THEOLOGICA

DE

IGNORANTIA.

QUoniam experientia constat, ad humanas actiones non raro concurrere Ignorantiam, quæ dum adest, homo persæpe operatur, quæ absente illa aut omnino non, aut certè tali modo non ageret; eaque propter modo à pœna, modo etiam à culpa reddatur immunis, à qua tamen liber non foret, si in agendo Ignorantia non laborasset; quandoque etiam inualide operetur, quæ si scienter fuisset operatus, suo valore non carerent; idcirco nemo in dubium vocauerit, quamplurimum eorum, qui se Theologiæ studio esse profitentur, interesse, ne quis earum actionum, ad quas Ignorantia sese immiscet, naturam, affectionesque ignoret. Quamquam vero Auctores de Ignorantia sparsim variis locis, videlicet pro subiecta materia, tractare solent, nos tamen commodius uniuersam hanc tractationem in unum locum, adeoque in unam Disputationem coniungimus: quam propterea in sex Capita distributam, hoc ordine proponemus. I. Explicabimus Ignorantiæ varias diuisiones. II. Ignorantiæ in ordine ad culpam spectabimus. III. Assignabimus Ignorantiæ obiecta. IV. Ignorantiæ in ordine ad pœnas considerabimus. V. Eandem in ordine ad Contractus. VI. Denique illam ipsam Ignorantiæ in ordine ad Vota, ac Iuramenta explicandam subiungimus.

A

C A-

IGNORANTIAE DIVISIO.

THESIS I.

I.
Diuisio Ig-
norantiz.

II.
Diuisio Ig-
norantiz.

III.

IGNORANTIAE diuisio è quinque fontibus peti potest. I. Ex notitia, siue scientia, cui opponitur, quæ priuat Ignorantia. II. Ex re obiecta, quæ ignoratur. III. Ex parte subiecti, cui Ignorantia inhæret. IV. Ex respectu ad voluntatem. V. Ex respectu ad hanc simul & ad opus, siue actionem, quæ à voluntate aut elicitur, aut imperatur. Iam igitur I. diuiditur IGNORANTIA ratione notitiæ, cui opponitur, in *Negatiuam*, *Priuatiam*, & in eam, quæ dicitur *Praue dispositionis*. A. Ignorantia negatiua, siue puræ negationis est: cum quis non habet notitiam rei, quam aut non potest, aut non debet habere: qualis in infantibus, aut perpetuò amentibus reperitur. Priuatiua est, cum quis caret notitia alicuius rei, quam nosse potest, ac debet. Ignorantia prauæ dispositionis est, cum quis habet errorem intellectus, veritati contrarium; tunc enim quia non solum ignorat, sed etiam errat, adeoque vnum pro alio iudicat, B. dicitur esse prauæ dispositionis, hoc est, malè affectus. Vt si te, quem video, existimem pauperem, cum sis diues, erro. Sed si te nunquam viderim, nec de te audiuerim, & te diuitem esse ignoro, habeo ignorantiam puræ negationis. C. II. Ratione eiusdem notitiæ, cui opponitur, diuiditur IGNORANTIA in *Speculatiuam* & *Practicam*. D. Speculatiua est, quæ opponitur notitiæ speculatiuæ. Practica, quæ opponitur practiciæ, quæ scilicet est principium operationis. Vbi per scientiam non solum intelligimus notitiam euidentem, sed quamlibet cognitionem certam, qualis etiam est notitia Fidei obscura.

A. C. Gabriel Vafq. in 1. 2. disp. 117. n. 1. Ioann. Azor. Institut. moral. tom. 1. l. 1. c. 12. q. 1. Adam. Tanner. in 1. 2. d. 2. q. 1. dub. 8. n. 85. Alphons. Curiel. 1. 2. q. 6. a. 8. Ioann. Malder. 1. 2. disp. 38. & commun. post s. Thom. 1. 2. q. 76. a. 2. Vbi ignorantiam rerum, quas quis scire non potest, potius Nescientiam, quam ignorantiam, appellandam censet; quod illa etiam in Angelis reperitur, teste D. Dion. 7. de Celest. & 6. de Eccles. Hierarch. B. Iuxta cap. in Quibus. 22. q. 2. D. Vafq. cit. num. 2.

I I. Diuiditur IGNORANTIA III, ratione obiecti, in ignorantiam

lurib

*Iuris & ignorantiam Facti; A. siue circumstantia particularis factum concernentis. B. Ignorantia Iuris est, si quis ignorat aliquid esse lege, vel consuetudine vim legis obtinente, constitutum: vt si nescias carniū commessionem in Quadragesima esse veritam. Ignorantia Facti est, si quis ignorat rem particularem, ex qua actio moralis velut obiecto dependet: vt si nescias carnem esse, quam comedis, vel non cogites, esse Quadragesimam. Ignorantia Iuris subdiuiditur iuxta varietatem Iuris, seu legis: vt nimirum alia sit ignorantia Iuris naturalis, alia Iuris diuini politiuī, alia Iuris humani, Ecclesiastici, vel civilis. Ignorantia Facti, aut est alieni, aut proprii facti. Alieni, si ignores Titium testamentum condidisse. Proprii, si ignores te percussisse Clericum. Est porro ignorantia facti vel totius, vel circumstantiæ, vel effectus inde consequenti. C. Diuiditur IV. IGNORANTIA ratione subiecti, in *Habitualement* & *Actuali*. D. Habitualement priuat intellectum scientia in actu simul & habitu, & dicitur propriè Ignorantia. Actualis destituit intellectum dumtaxat actuali scientia; & vocari solet inaduertentia, incogitantia, obliuio, vel vt S. Doctor loquitur, E. Ignorantia mala electionis. ideo fortassis, quod vel ex ea sequatur, nec sine ea esse soleat, mala electio; vel quod mens non ita aduertat ad malitiam præsentis electionis. F. Quæ deinceps disputabimus cum de habituali, tum de actuali ignorantia ferè erunt intelligenda. G.*

Diuisio Ignorantia.

IV.
Diuisio Ignorantia.

A. Ita supponit Ius, cum Pontificium, tum Cæsareum. nam extat regula Iuris in 6. Ignorantia facti, non Iuris excusat. Est etiam titulus 18. l. 1. Cod. & tit. 6. lib. 22. Digestorum, de Iuris & Facti ignorantia. B. Vasq. cit. n. 2. Tanner. cit. C. Azor. cit. D. E. l. 2. q. 6. a. 8. F. Tanner. cit. G. Nam auctores quando de Ignorantia tractant communiter asserunt, ad Ignorantiam reuocari, siue eam equipollere naturalem inaduertentiam, obliuionem, opinionem probabilem a parte rei falsam. Coning. disp. 13. dub. 11. n. 93. Laym. de Cens. lib. 1. tr. 5. cap. 4. n. 7. Suar. disp. 4. sect. 8. n. 11. Filliuc. lib. 1. tr. 11. c. 8. n. 250.

111. Diuiditur V. Ignorantia ex respectu & ordine ad voluntatem, in *Voluntariam*, & in *Inuoluntariam*. Voluntaria, quæ & vincibilis, culpabilis, improbabilis, & iniusta appellatur, est, quam homo, qui ea laborat, potest ac debet tollere, nec tamen tollit, quia non vult. A. Quod si quis habeat ignorantiam rerum, quas scire quidem potest, tamen scire non obligatur; ea vel ad Inuincibilem reuocatur, vel ad negotium morale non pertinet. Inuoluntaria, quæ & inuincibilis, inculpabilis, probabilis & iusta vocatur, est, quando aut nulla expressa

V.
Diuisio Ignorantia.

cogi.

tur, quæ opus simul & voluntatem, tam explicitam, quàm implicitam antecedit; estque causa operis alicuius, non quidem per se in illud influens, siue physice siue moraliter; sed tantum per accidens, velut causa remouens, prohibens; quatenus nimirum remouet actualem scientiam, quæ si adesset, opus illud non fieret. *A. Comitans* ignorantia dicitur, quæ neque per se, neque per accidens est causa operis ignoranter facti; quod is qui ex tali ignorantia operatur, ita sit constitutus, vt si haberet oppositam ignorantie scientiam, nihilominus faceret id ipsum, quod nunc inscius facit. Vt si hostem tuum interficias in dumeto latitantem, existimans esse feram, quem si cognouisses, nihilominus occidisses. *B. Consequentem* ignorantiam (quicquid nonnulli à nobis seorsim sentiant, *C.*) affirmamus dici, non respectu operis, quasi videlicet primum consequatur ad opus ex ignorantia factum, sed respectu voluntatis, à qua directe vel indirecte, velut à causa expressæ, vel implicitæ imperante procedit. *D.* Non negamus, quandoque ignorantiam consequentem sequi ad aliquod opus prauum, liberè à voluntate patratum, & hoc sensu etiam dici posse consequentem respectu operis; E. qualis est ignorantia, in quam quis incidit culpa sua ex ebrietate, furore, vel amentia, quibus quis voluntariè causam dedit; quia tamen hoc vniuersum non fit, ideo rectius à solo respectu ad voluntatem expressam, seu formalem, vel implicitam, seu virtualem, ignorantiam consequentem dici statuimus.

A. S. Thom. q. 76. a. 1. B. Vasq. d. 117. c. 1. & c. 2. num. 4. Azor. cit. q. 1. ex commun. C. vt videre est apud Azor. cit. Tanner. cit. n. 87. D. Vasq. cit. num. 3. E. Azor. cit.

V. Iam si inter prædictas diuisiones ignorantie comparatio instituat, dicimus I. Ignorantiam practicam, (speculatiua ad propositum non spectat) siue negatiua, aut priuatiua; siue prauæ dispositionis, adeoque positiua; siue etiam habitualis, siue actualis sit, posse esse cum *facto*. Equidem sicuti accidit, vt ius factumue non raro ignoremus, ita in iure factoue aliquando errare contingit. *A.* Vtrum autem, & quando de eodem iure, aut facto, vincibilis, vel inuincibilis ignorantia detur, dicemus inferius. *B. II.* Ignorantiam antecedentem omnem esse inuoluntariam, adeoque inuincibilem, probabilem &c. & Consequentem esse voluntariam, vincibilem, improbabilem, adeoque vel crassam, vel affectatam, vel alias culpabilem. *III.* Comitantem Verò tamen communiter nec vincibilis nec inuincibilis dici con-

6
 fuenerit, C. attamen si rei veritatem pensemus, vtróque nomine appellari posse. D. Idque non leuiter aduertendum est, propter penas, quæ inde incurri possunt, de quibus suo loco. E. Affirmamus ergò comitantem ignorantiam tunc esse inuincibilem, quando respectu operis formaliter considerati inculpabilis existit, eo quòd debita diligentia fuerit opposita, ad existimandum id, quod in dumeto latebat, non esse hominem, sed feram. sic enim interfectio hostis, quem feram putasti, est inculpabilis; quia est effectus secutus ad ignorantiam, quæ antecessit omnem actum voluntatis, quæque adeò inuoluntaria etiam, & antecedens dici meretur. Nec refert quòd eadem actio, videlicet interfectio, futura fuisset, etiam si defuisset ignorantia: hoc enim non obstat, quo minus hic & nunc illa ignorantia sit causa illius actionis, quia *conditionalis nihil ponit in esse*. Vnde licet posita illa conditione actio haberet aliam causam, nimirum Voluntatem; attamen hic & nunc eam non habet; sed aliam, videlicet ignorantiam. Idem enim effectus potest à diuersis causis moralibus procedere, & nunc ab una earum emanare, tametsi hac deficiente, fieret ab alia. Eadem porò

Comitans
 ignorantia
 potest dici
 inuincibi-
 lis.

Comitans
 ignorantia
 quando fit
 vincibilis?

ignorantia vincibilis, adeòque consequens dici potest, quando nulla, vel insufficienti diligentia adhibita, consequitur actum Voluntatis, & ita indirectè voluntaria est. Quia tamen cum hæc vincibilis, tum prior inuincibilis, supponit Voluntatem ita dispositam, vt nihilominus vellet effectum, etiam si nulla adesset ignorantia, idcirco absolute neque Antecedens, neque Consequens, sed Comitans dici debet. F.

A. C. Azor. cit. q. 2. B. cap. 3. D. Vasq. 1. 2. d. 29. n. 8. Tanner. cit. n. 87. & 28. E. cap. 4. F. Almain. apud Vasq. d. 117. num. 4. nec à parte rei dissentit ipse Vasq. dicens esse *diffensionem vocum, non rerum*, dum videlicet aliqui volunt, omnem ignorantiam culpabilem appellari consequentem.

Quæ dili-
 gentia re-
 quiratur, vt
 ignorantia
 sit inuinci-
 bilis.

Regula I.

Vl. Cæterum quantam necesse sit, vt homo diligentiam adhibeat ad scientiam comparandam, ad hoc vt remanens ignorantia inuincibilis esse censeatur, tametsi non possit vniu. rsum definiri, sed vt plurimum prudentum æstimationi relinquendum esse videatur; poterunt tamen ex communi ferè Doctorum mente, aliquot regulæ, pro arbitrandâ sufficienti, aut insufficienti diligentia, obseruari. Nam I. quando nulla vnquam seu ignoratæ rei expressa cogitatio, seu obligationis acquirendi scientiam suspicio, seu alterius cuiuslibet rei, qua ignorans ad acquirendam scientiam poterat excitari, expressa dubitatio, vel scrupulus, in mentem venit ignorantis; tunc nullam licet is dili-

gentiam adhibuerit, tamen eius ignorantia censetur esse inuincibilis. A. Ratio est: quia in eo euentu non est in ignorantis potestate, aliquid agendum suscipere, ad pellendam ignorantiam, quod hoc ipsi sit impossibile, atque adeo inuoluntarium, eo ipso quod nulla ei in mentem venerit cogitatio de acquirenda scientia. Imò licet de re ignorata potuerit cogitare, & medium etiam idoneum adhibere, ad ignorantiam deponendam; si tamen nunquam animo occurrit, se vel posse, vel debere medio illo uti, ignorat nihilominus inuincibiliter, etiam si medio non utatur. Nam tale medium, sub ratione mediij, ipsius animo non occurrebat; atque adeo eo euentu non poterat, (potentia propinqua) & propterea neque obligabatur, ad addiscendam notitiam, quicquam facere, eo quod hæc obligatio, propter moralem impotentiam fuerit quodammodo suspensa. Hinc licet quis culpabiliter die festo templum non adeat, quo promulgatur ieiunium extraordinarium; poterit illi ieiunij obligatio esse inuincibiliter ignorata, eo ipso quod accessum templi non apprehendit ut medium acquirendi scientiam de lege ieiunij insueti. B.

A. B. *Suar. tom. 5. d. 4. sect. 8. n. 7. 8. Vasq. d. 107. c. 3. & d. 123. c. 2. n. 6. & d. 124. c. 2. n. 5. Tanner. d. 6. q. 9. dub. 1. n. 16. & 17.*

VII. II. Quando quis vel sciens suam ignorantiam, vel saltem de illa dubitans, adhibuit eam diligentiam, quæ attentis circumstantiis personæ, temporis, negotij, &c. prudentis arbitrio iudicari potest qualitati operis accommodata, & sufficiens, ignorantia quæ remanet, erit inuincibilis; esto simpliciter maiorem adhibere potuisset. A. Neque enim in aliorum quoque præceptorum obseruatione obligatur quis adhibere supremam diligentiam, quod iam supra monuimus; B. sed sufficit moralis; qualis esse existimatur, si vsus fueris medijs de se, & moraliter ad notitiam acquirendam ordinatis. nam maiorem diligentiam exigere, foret & onus imponere hominibus nimis graue, & infinitis scrupulis conscientias illorum diuexare. III. Ut is cui constat, vel qui dubitat de sua ignorantia, censetur diligentiam moraliter sufficientem ad pellendam ignorantiam præstitisse, necessarium & satis est, ut si ipse indoctus sit ac rudis, consulat viros doctos & pios, de quibus nulla subest suspicio, quod velint rogantem decipere, eorumque sententiam complectatur. quos inter meritò primi existimantur esse proprii cuiusque Pastores, & Prælati. C. IV. Quod si non suppetat

Regula I I.

Regula III.

Regula IV.

tione,

tionem, cum morali diligentia veritatem inquirat necesse est. Quo uentu quandoque contingere poterit, ut occurrente dubio, in grauioribus rebus, maximè ad salutem necessariis, obligetur ad DEVM per preces confugere, & expiata conscientia ad diuina subsidia recurrere. D. Extra quem tamen casum, vix vnquam videtur necessarium esse, ad Gratiam se disponere, ut inde ignorantia aestimetur esse inuincibilis, quòd hoc non sit medium per se ordinatum ad pellendam ignorantiam; vel esto tale medium sit, hoc ipsum tamen communiter ignoretur. E.

A. Azor. c. 13, q. 2. Tanner cit. n. 18. Aduerte hic ex Vasq. d. 117. c. 1. num. 2. & d. 123. n. 2. & d. 124. n. 6. Ignorantiam, qua post diligentem inquisitionem remanet, propriè dici Probabilem: illam verò, de qua nulla notitia, aut dubium extitit, quàmque nulla inquisitio consecuta fuit, propriè Inuincibilem appellari. Verum hanc distinctionem aliqui non videntur notasse, dum utraque appellatione promiscuè vtuntur. B. Thes. 3. in notis. litt. g. C. Vasq. d. 123. c. 2. n. 7. iuxta illud Matt. 23. Quaecumque dixerint vobis, facite. D. Tanner. cit. n. 18. E. Insinuat Vasq. d. 120. n. 9.

VI 11. Ex his colligitur quo sensu iura, & Doctorum prolata, accipienda sint, quando idem esse affirmant, scire, & debere scire, passimque asserunt, esse indirectè voluntariam ignorantiam, & inaduertentiam, cum quis, vel sciuit, aduertitque; aut debebat scire, vel aduertere. Hæc enim intelligenda sunt, quando adfuit aliqua Actualis, plena & sufficiens ad malitiam obiecti, eiusque periculum vel dubium, aduertentia. Quia dum hæc actualis aduertentia non adfuit, non est in nostra potestate proxima, expellere ignorantiam, & inconsiderationem; aut certè non subest ita plenè nostræ facultati, ut ad mortale sufficiat. A. At inquires, quando adest præceptum aliquod, v. g. Ieiunij; is qui non aduertit, aut qui ignorat præceptum, & ita ieiunare negligit, tenebatur scire & aduertere: ergo scire poterat, tametsi nulla dubitandi ratio circa id præceptum occurrerit. Respond. Talem per se quidem obligatum fuisse ad eam scientiam habendam, ad quod satis est, ut sit per se loquendo in homine potestas sciendi; at tamen per accidens hic & nunc non fuisse obligatum, sed eam obligationem proximam dispensam; adeoque illum excusari propter impotentiam fuisse suam moralem, quæ ex naturali & necessaria ignorantia, aut inconsideratione fuit orta. Quod si actualis aliqua aduertentia vel suspicio de præcepto illo in mentem venisset, debebat procul dubio intellectus deli-

deliberare, & voluntas diligentiam adhibere ad comparandam scientiam; & ita si intellectus & voluntas id non præstitit, ignorantia fuit vincibilis. B.

A. B. *Suar. cit. & deducitur ex doctrina eorum, quos pro thesi 6. & 7. allegauimus.*

CAPVT II.

IGNORANTIA SPECTATA IN
ordine ad culpam.

Quando iuxta S. Pauli sententiam, Is qui ignorat ignorabitur: A. hoc est, ut interpretatur S. Thomas, B. pœnam hanc meretur, ut à DEO ignoretur, eternisque tenebris addicatur, dubium non est, ignorantiam aliquo tandem modo peccatum esse, aut peccati causam. Quare nobis hoc Capite explicanda erunt hæ, similesque quæstiones: Vtrum, & qua ignorantia excuset, aut non excuset à peccato? Quale peccatum sit Ignorantia? anne speciale aliquod; an vero ab opere prauo, cui dat causam, non distinctum? Vtrum Ignorantia excuset à peccato Hæreseos? Quid denique sentiendum de operibus ab ebrio, amente, dormiente patratæ?

A. 1. Corinth. 14. B. 1. 2. q. 76. a. 2.

Thesis IX.

IGNORANTIAM cum vincibilem, tum inuincibilem, per accidens, modo videlicet superius explicato, A. esse causam peccati, communiter affirmant Theologi. B. Verum cum discrimine. Nam vincibilem illam, quæ prauum opus antecedit, C. rectè aiunt esse causam peccati formaliter; inuincibilem verò esse dicunt peccati causam solum materialiter spectati. D. Quo loquendi modo significare volunt, tunc quando adest ignorantia inuincibilis, ab homine sic ignorante fieri opus, quod omninò formaliter peccatum foret, si ab homine sciente fuisset perpetratum; sed quia ab inuincibiliter ignorante exercetur, inethi actus idem perpetratur, à formali tamen malitia immunis est. Ex quo manifestè deducitur, omnem inuincibilem ignorantiam

Ignorantia
quomodo
sit causa
peccati.

siue operis totius, siue circumstantiæ operis, in tantum excusare à peccato, in quantum vel supra opus vniuersum, vel vt sæpe fit, & nos inferius, vbi de ignorantia facti agemus, declarabimus, supra aliquam solam operis circumstantiam cadit. Cum enim ipsa hæc ignorantia, vtpote omnem actum voluntatis liberum antecedens, sit prorsus inuoluntaria ignorantia, non potest non reddere opus, vel simpliciter, vel ex parte secundum aliquam circumstantiam, inuoluntarium, eo quod tollat radicem necessariam voluntarij, quæ est faciendorum præuia cognitio: qua deficiente, sicut opus non potest esse voluntarium, ita non poterit esse moraliter prauum & inhonestum, adeoque peccatum. *E.* Aliter sentiendum de ignorantia consequente, quæ cum talis dicatur in ordine ad voluntatem, à qua directe vel indirecte velut causa imperante procedit, sicut ipsa est voluntaria, adeoque culpabilis, ita & opus inde consequens reddit voluntarium & prauum, vt propterea non excuset operantem. *F.* Quod ipsum de comitante quoque censendum, quando vincibilis est. *G.* Quando autem inuincibilis est, tum vel eius in moralibus exigua ratio habetur, vel certe simili modo de ea, atque de antecedente cæteris paribus, philosophandum est.

A. Thes. 4. B. Post 8. Thom. 1. 2. q. 76. a. 1. C. Nam eam qua ex opere prauo oritur, v.g. ex ebrietate (in qua mala sæpe ignoranter fiunt) non esse causam peccati ipsius ebrietatis per se constat, cum è contra Ebrietas causa sit ignorantie, ex qua deinde alia peccata oriuntur. D. Tanner. d. 4. q. 9. dub. 1. n. 4. E. Commun. Theologor. teste Tannero cit. n. 23. F. Comm. cum S. Thom. cit. a. 1. 2. G. vide dicta. Thes. 5.

X. IGNORANTIAM CONSEQUENTEM, non solum, quod mox vidimus, causam peccati esse, sed eo ipso quod vincibilis & improbabilis existit, etiam peccatum esse, constans fert Theologorum opinio. Verum vtrum in seipsa, an ratione alterius rei adiunctæ peccatum sit, necnon vtrum speciale, & ab opere, vel omissione praua, quæ inde consequitur, sit peccatum distinctum, controuertitur. Nos distinguendum esse censemus inter ignorantiam habitualem, & actua-
Ignorantia
Consequens
est peccatū.
Ignorantia
an sit pec-
catum spe-
ciale?
Axioma I.
 Qua distinctione animaduersa: Afferimus I. Ignorantiam habitua-
 lem, itémque inter ignorantiam earum rerum, quæ in operatione, & earum, quæ in speculatione sitæ sunt, vt sunt Mysteria nostræ Fidei. eo ipso, quod scientia ad operationem rectam necessaria priuer per modum habitus, in se formaliter peccatum non esse, sed esse effectum

quendam peccati, quod consistit in negligentia sciendi & addiscendi id, quod quis scire potest ac debet. *A. II.* Ignorantiam actualem, quam supra, *B.* inaduertentiam, incogitantiam (de culpabili & confescente loquimur) & *Ignorantiam mala electionis*, appellauimus, asserimus esse in se peccatum, siue deinde sit rerum angendarum, siue solum credendarum. Est enim voluntaria indirecte, si sit crassa & supina; directe, si sit affectata; & priuat scientia per modum actus, estque recte rationi repugnans; consequenter vt sic non potest non esse in se peccatum. *C.* Quod verò de Ignorantia actuali priuatiua asserimus, id potiore iure de voluntario errore actuali dicendum est; nimirum illud non solum ratione adiunctæ negligentiae, sicut est ignorantia habitualis, sed in se quoque peccatum esse. *D.*

A. Communior apud Azor. lib. 1. Inst. moral. c. 12. q. 4. B. Thef. 2. C. D. Vasq. d. 118. c. 3. n. 11. Azor. cit. cum comm.

X 1. Asserimus III. Ignorantiam practicam, hoc est, earum rerum, quæ in operatione positæ sunt, non esse speciale, siue distinctum peccatum, ab opere prauo, seu peccato illo, quod ex ea sequitur. Vt si culpabiliter ignores esse hominem, quem occidis; non est specie, aut numero distinctum peccatum, consequenter nec in Confessione per se loquendo distincte exprimendum, à peccato homicidij. Neque etiam distinctum peccatum est ignorantia diei festi, ab omissione Missæ, aut operatione seruili, si ex illa sequantur. *A.* Secus res habet de ignorantia rerum credendarum, quæ ratione sui, & non solius operationis gratia sub præceptum cadunt. Nam harum ignorantia, aut consistit in sola negligentia addiscendi Mysteria Fidei creditu necessaria: & tunc est speciale peccatum, contra præceptum Fidei posituum, quod iubet, vt quisque credat Mysteria ad salutem creditu necessaria, fidemque actualem tempore debito, seu interno mentis actu, seu exteriori Fidei Confessione, exerceat. *B.* Aut consistit in voluntario errore; & tunc est aliud speciale peccatum infidelitatis. *C.* Quod si res credendæ solius operationis causa sub præceptum cadunt, tum si ignorantia sit merè priuatiua, & non prauæ dispositionis, eodem modo, quo de ignorantia practica aliarum rerum, censendum est. Hinc si ignores v. g. periurium ad saluandam Rempublicam esse illicitum, itaque peieres; non nisi vnicum periurij peccatum commites, quantumuis in Decalogo, Fide diuina credendo, illud prohibeatur. *D.* Si ignorantia sit positiua, adeoque prauæ dispositionis; tunc præter

periurium, etiam hæreseos, aut alterius infidelitatis crimen designabis.

A. B. *Vasq. d. 119. c. 2. Azor. cit. q. 5. C. Vide dicta in disp. de virtut. Theolog. cap. 1. §. 3. & 4. D. Vasq. cit. cap. 3. n. 5.*

XII Verum contra ea, quæ paulò ante de ignorantia practica diximus, duæ potissimum rationes objici possunt, quibus nonnulli persuasum habere videntur, ignorantiam illam speciale peccatum esse. A. Altera est: quòd ignorantia aut videatur esse quoddam peccatum *Imprudentiæ* specialis, virtuti *Prudentiæ* oppositum: aut certè peccatum quoddam speciale, oppositum virtuti *Studioſitatis*. Altera est: quòd quandoque contingat, vt quis vincibiliter ignoret rem quampiam, & tamen ex illa ignorantia non sequatur opus, aut omisso praua, v.g. culpabiliter ignoras esse hominem, sed putas esse feram, quam transigere cupis, interim iaculando erras. Quo sanè casu non commisti homicidium, nec tale in confessione aperiendum tibi est; peccasti nihilominus mortaliter peccato ignorantie. Pari modo vincibiliter ignoras esse diem festum, & ideo propositum habes, non audiendi eo die Missam; postea tamen mutata mente Missam audis; non poteris dicere in Confessione, te Missam neglexisse. Ergo his, similibusque euentibus ignorantia speciale peccatum erit.

A. *Gabriel. Almain. Cordub. Caiet. apud Vasq. cit. c. 1.*

XIII. Sed respondendum ad priorem rationem, *Prudentiæ*, cum virtus intellectualis sit, & nonnisi directiue moralis, non opponi peccatum speciale in genere moris; sed contra illam peccari in materia aliarum virtutum, non speciali aliquo *imprudentiæ* peccato morali, sed peccato opposito virtuti illi aut præcepto, quod materiam virtutis constituit. Nec refert, quòd etiam *Fides Theologica*, virtus intellectualis sit, & tamen nos oppositam illi ignorantiam, speciale peccatum esse dixerimus. nam ignorantia hæc, vt peccatum moris est, *Fidei* non opponitur, nisi in quantum habet adiunctum affectum *pia credulitatis*; sine quo sicut ipse *Fidei* actus secundum se formaliter liber & moralis non est, ita quatenus ab affectu illo *pia credulitatis* (qui virtutis actus voluntatis est) imperatiue procedit, liber, moralis ac voluntarius est; habetque inde propriam ac specialem honestatem moralem, à qua proinde etiam ipsa *Fidei* virtus eatenus moralis dici potest ac debet, quatenus talis actus est elicitiua. Consequenter illi opposita ignorantia, vel error, prauitatem specialem continet. Aliter res habet de

de Prudentia, quæ in quantum à voluntate procedit, propriam honestatem non habet, sed sortitur bonitatem moralem variarum virtutum, à quibus iniperatur. Vnde eidem opposita imprudentia, aliquæ actus, quos S. Thomas alicubi enumerat, A. peculiarem moralem malitiam non habent. B. Ad Studiofitatem quod attinet, respondemus, ei quidem opponi negligentiam rerum discendarum, quatenus procedit ex torio laboris; sed studiofitatem vel virtutem peculiarem non esse, adeoque nec negligentiam oppositam esse vitium speciale: vel certe si illa peculiaris virtus sit, negligentiam oppositam secundum se peccatum morale non esse; vel si tale sit, illud solum esse propter obligationem alterius præcepti aut virtutis, puta Religionis, Fidei Iustitiæ, Charitatis &c. C.

A. 22. q. 53. Vbi præter Imprudentia peccatum vniuersim spectatum enumerat peculiare quosdam actus vitiosos, oppositos actibus Prudentiæ. Puta præcipationem consultationi, inconsiderantiâ iudicio, inconstantiam imperio. Qui tamen omnes actus non nisi vnum peccatum, non speciale, sed iuxta materiam virtutis, circa quam consultatio &c. versatur, constituunt. B. C. Vasq. cit. c. 2.

XIV. Ad posteriorem rationem respondemus, in allegatis, aliis que similibus ignorantie vincibilis euentibus, non committi speciale ignorantie peccatum; sed in priore verè patrari peccatum homicidij; in posteriore propriè peccatum omissionis Sacri; suoque modo vtrumque explicandum esse in Confessione, non quidem dicendo te hominem occidisse, aut Missam non audisse, sed te teipsum coniecisse in culpabilem ignorantiam, & voluntarium periculum, vel hominem necandi, vel Missam negligendi. Ad eum ferè modum, quo obligamur sperire peccata internæ voluntatis efficacis, quantumvis illa per accidens postmodum in opus non prodeant. A. Atque hæc ad obiectiones. Cæterum cum, vt iam satis constat, & ipsa ignorantia consequens peccatum sit, & opus inde emanans à malitia non excuset, sed vnum cum ipso peccatum constituat, quæri potest, Vtrum saltem culpam diminuat? Afferimus I V. Ignorantiam siue crassa illa sit, siue affectata, minnere aliquantùm grauitatem malitiæ peccati, eo ipso quod utraque non nihil imminuat rationem voluntarij, cum sit contra operantis inclinationem, saltem implicitam. B.

A. Azor. cit. q. 5. B. S. Thom. 1. 2. q. 6. a. 8. cum comm. iuxta illud vulgatum: Ignorantia non excusat à toto, sed à tanto. Quin & S. Paulus fatetur, se misericordiam esse consecutum, quod ignoreret in incredulitate, adeoque mi-

Albertio IV

nus voluntarie blasphemus & persecutor extiterit, quàm si scienter talis fuisset. 1. Timoth. 1.

Ignorantia
Comitans
vtrum à
culpa excu-
set?

Affertio V.

Affertio VI

XV. Sed quid de Ignorantia comitante? Anne & ista culpam imminuit, aut prorsus aufert? Si de ignorantia comitante loquimur, vtrum eam communiter accipiunt Theologi, & Summistæ; nimirum pro illa, quæ neque per se, neque per accidens est causa operis ignoranter facti, tunc V. Afferimus, eam nec aggranare (vtri loquuntur) nec alleviare peccatum; eo quòd opus, quod illa comitatur, nec voluntarium reddat, nec inuoluntarium, sed solum non voluntarium; quandoquidem quod cum tali ignorantia operamur, neque operamur cum cognitione singulorum, quod ad voluntarium requiritur, neque contra positivam formalem aut virtutalem inclinationem voluntatis, quod ad inuoluntarium est necessarium, A. Afferimus VI. Comitantes ignorantiam excusare quidem opus, ad quod concomitanter se habet, à culpa seu peccato; eo quod externum v.g. homicidij opus, quando te feram percutere putas, non procedat ab effectu pravo, sed à voluntate iaculandi feram; adeoque in ratione homicidij sit non voluntarium; non tamen excusare simpliciter ipsummet operantem à culpa circa illud obiectum seu opus, quod cum ignorantia comitante fit. Quia nimirum hæc ignorantia talis naturæ est, vt cum ea maneat peccati affectus circa obiectum ignoratum. B. Quod si ignorantia cum affectu illo cohærens, (siue deinde Comitantem, siue Consequentem dicere malis. C.) sit vincibilis, nec minuet culpam, cum non sit contra internam voluntatis inclinationem; nec à peccato opus ignoratum excusabit; eo ipso quòd vincibilis est; non secus atque de consequente docuimus.

A. Comm. cum S. Tho. 1. 2. q. 6. a. 8. B. Vasq. d. 125. c. 3. Ex qua doctrina facile conciliari possunt Doctores in speciem dissentientes, dum aliqui absolute cum S. Thoma q. 76. a. 3. aiunt, ignorantiam comitantem non excusare à peccato, alij verò de contra asserunt excusare. C. Vide Thes. 5.

Ignorantia
vincibilis
vtrum excu-
set abhære-
re?

Affer. VII.

XVI. Quæstio ab hoc loco haud aliena moveri solet; Vtrum vincibilis ignorantia, circa obiectum aliquod nostræ Fidei, excuset ignorantem, non quidem à peccato contra præceptum Fidei; ab hoc enim constat immunem non esse; sed à formali peccato hæresis contra Ecclesiam, mus, & Afferimus VII. Eum, qui tenens errorem contra Ecclesiam, v.g. Spiritum sanctum non procedere à Filio; ex mortaliter culpabili ignorantia putat ita sentire Ecclesiam, hæreticum non fore, si illa ig-

norantia sit Crassa, & non affectata. *A.* Quia is qui sic ignorat, Ecclesiæ non resistit. Nec refert, quod ab aliis peccatis ignorantia vincibilis non excuset; nam alia peccata, præter rationem directi, vel indirecti voluntarij, non includunt pertinaciam, sicut includit hæresis, à qua proinde simplex ignorantia excusat; utpote excludens voluntatem resistendi Ecclesiæ. Quod si ignorantia illa sit affectata, eaque affectatio oriatur ex contemptu Ecclesiæ; ut si quis existimet parui momenti esse ea, quæ ab Ecclesia creduntur, & proponuntur; taliter errans foret hæreticus, quia contemnit auctoritatem Ecclesiæ, ex cuius despectu vult ignorare res necessariò credendas. Sin affectatio illa nascatur ex alio fonte, v.g. ex addiscendi tœdio, tunc æquè ab hæreseos crimine excusabitur, atque crassa ignorantia. *B.*

A. Comm. cum S. Tho. 2. 2. q. 11. a. 2. ad 3. Caietano, Durand. Nauar. & alia, quos refert & sequitur Vasq. in 1. 2. d. 126. c. 2. B. Vasq. cit. Becanus de Virtut. Theologicis cap. 14. q. 2. n. 15. & 16.

XVII. Sed neque alia æquè celebris quæstio hic nobis prætereun-

da est, quam S. Doctor attigit, ubi de Ignorantia tractat. *A. videl. Vtrum Opera peccati in ebrietate patrata culpæ imputentur?* Non defuerunt antiquiores Scholastici, qui vniuersim affirmarunt, omnia opera indiscriminim, quæ aliàs à vigilante commissa, fuissent moraliter mala, etiam in ebrietate patrata culpæ imputari. *B. Quos contra Afferimus*

VIII. Opera quæ ab ebriis sunt, sæpè culpæ imputari; sæpè etiam omni culpa vacare; etiam si alioqui peccati opera fuissent, si extra ebrietatem essent admissa. *C. Quia aliàs frustra Patres, D. niterentur* Locum ab incestus crimine liberare, quando, ut sacræ litteræ tradunt, se inebriatus propriis filiabus commiscuit. *E.* Quando autem opera illa culpæ imputentur, quando non; diligenter aduertendum est, vtrum euentus mali, ante ebrietatem præuisi fue rint, aut potuerint alicuo modo præuideri; vel vtrum nec præuisi sint, nec præuideri potuerint. Si fuerint præuisi, vel cum potuissent præuideri saltem in confuso, & tamen præuisi non sint; procul dubio culpæ imputantur; (non secus ac opera, quæ ex vincibili ignorantia fiunt) nisi se inebriatus cautelam & diligentiam adhibuerit, ne quid eorum eueniret, quæ ab ipso in ebrietate euenire solent. Hinc quo solent esse euentus mali in ebrietate frequentiores, eo maior cura adhibenda est, ne eueniant. qua diligentia adhibita, etiam si postmodum quippiam eorum eueniat, culpæ non imputabitur.

Opera in ebrietate patrata quomodo culpæ imputentur?

Affer. VIII.

A. 1. 2. q. 26. a. 3. ad 4. B. Alexand. Durand. Marfil. & alij apud Vasq. d. 127. c. 1. C. Bonau. in 2. d. 22. a. 2. q. 3. Caiet. in 2. 2. q. 150. a. 4. Nauar. in Manual. c. 27. n. 230. Couar. in Clem. Si furiosus. 3. p. in init. num. 3. & 4. & alij quos refert, & sequitur Vasq. cit. c. 2. & 3. D. S. Chrysost. hom. 44. in Genes. S. August. lib. 22. contra Faust. c. 44. Irenaeus lib. 4. c. 51. Origen. hom. 5. in Genes. E. Genes. 19.

XVIIII. Quod si inebriandus non potuit praeuidere euentus illos, eo quod nulla illi occurrerit ratio dubitandi, aut cogitandi, de eisdem euentibus malis, etiam si alias frequentiores ipsi esse soleant, erit haec inconsiderantia naturalis, & inuincibilis; & ideo ebrium exculabit, non ab ebrietatis peccato, sed ne culpam contrahat eorum operum, quae in ebrietate committuntur, quaeque si à vigilante facta fuissent, forent peccata. A. Idem dicendum, si se inebriaturus sciat quidem aliquando fieri à se ebrio quaedam illicita, sed tamen rarius; & simul luxa circumstantias temporis, & loci, hic & nunc, non videatur imminere periculum illa patrandi; talis enim à culpa immunis erit, nec obligabitur ad ulteriorem diligentiam adhibendam. Quod equidem maxime locum habet, quando eiusmodi opera ab ebrio designari affueuerunt, non nisi ab aliis irritato, ut sunt maledictiones, blasphemiae &c. B. Atque ex his colligitur, non esse vniuersim verum, quod aliqui existimant; videlicet, *Ei qui voluntarie dat operam rei illicitae, ad culpam quoque imputari euentus malos, qui ex tali opere sequuntur*: Sed tunc solum, quando aut praeuidentur, aut praeuideri potuerint, nec prudens cura adhibita fuit, ut euitarentur.

A. Caiet. Vasq. cit. B. Vasq. cit. n. 8. & 9.

XX. Caeterum notanter sapientius diximus, *Opera in ebrietate facta culpa imputari, &c.* & non, illa ipsa opera esse peccata. Nam quaestio est, quae alibi decidi solet; A. Vtrum opera talia sint formaliter peccata externa, adeoque vtrum peccet ebrius, illo ipso tempore ebrietatis, an solum tunc, quando talia praeuidens, aut praeuidere potens, culpabiliter non praecauet. Nos existimamus totum peccatum operis ebrietate facti, v. g. homicidium, Sacri neglectum &c. tunc compleri, quando aliquis dat voluntarie causam ebrietati, ex qua praeuidet, aut praeuidere potest, opera illa consecutura. Quare omisso Sacri, aut homicidii formaliter peccatum externum non est; quia dum paramur, non subest vsui arbitrii, neque exercetur cum cognitione singulorum, in quibus est actio. B. Neque his obstat, quod communiter aiunt, eius-

huiusmodi opera esse voluntaria in sua causa. Nam huius dicti, vel iste sensus: nempe causam datam futuro homicidio, omissioni Sacramenti, &c. esse voluntariam, & peccatum; & sic verum est, quod dicitur. Vel sensus est: non ipsam solam causam, sed etiam effectum in ebrietate peractum voluntarium esse. sic falsum est, quod dicitur; nisi absurde concedere velis podagram quòque, cui intemperanter potando, & peccando causam dedisti, esse propriè & formaliter peccatum, quando & ista eo sensu foret voluntaria. C.

A. Ad q. 71. a. 5. S. Thoma. B. C. Vasq. d. 94. c. 2. Azor. cap. 7. Pefant. d. 2. q. 71. a. 5. d. 3.

XX. Quæ tribus proximè prioribus thesibus de euentu ebrietatis disputauimus, ea ferè etiam ad similes casus extendi volumus: Vt quis sua culpa in amentiam, turbationem cerebri, quæ vsum rationis ad tempus tollat, & somnum incidit; & postea committit opera turpia seu inhonesta, quæ euitare tunc ob defectum rationis, non est in eius potestate. Quo etiam pertinet, si quis sua negligentia mortaliter culpabili non didicit, quæ ratione officij, vel communi Christianorum lege discere tenebatur; ac deinde quando non est, à quo instrui possit, per ignorantiam transgreditur præceptum edendo carnes die ieiunij, aut die festo negligendo Missam. Dicimus enim opera, quæ à dormiente, furioso, vel in talis ignorantiae statu constituto fiunt, non debent imputari, quàm si ab ebrio fierent. Nisi quòd quædam præuisa in somno patrata, culpæ non imputentur, tametsi in ebrietate, & reliquis euentibus imputarentur: alia verò tam in somno quàm in ebrietate, &c. imputentur. Nimirum præuisa periuria v. g. blasphemiae & pollutio gestibus inhonestis causata: procul dubio ebrio ad culpam imputantur, licet in dormiente excusentur à peccato; dummodò hæc præuisa tantum sint, & non intenta. A. At verò quæ in damnum proximi vergunt, tam in ebrietate, quàm in somno facta culpam habent, proindeque præcauenda sunt. B. Quale damnum cum etiam fornicatio secum ferat, cum sit in detrimentum prolis, ea quòque euitanda est. Quod si pollutio solum ex redundantia vini vel cibi, absque alia irritatione præuideatur euentura; tunc neque ab ebrio per se loquendo præcauenda erit. Denique his addimus plurima ebriorum dicta ex se turpia, non æstimari culpabilia etiamsi præuideantur; qualia sunt verba in hominem contumeliosa, quòd hæc tempore ebrietatis non accipiuntur vt contumeliæ, sed vt facetiæ. C. Secus dicendum de verbis

in Deum iniuriōsis, puta blasphemiis, rerum sacrarum indecentibus appellationibus, &c. quia licet hæc in se voluntaria non sint, nec scienter fiant; sunt tamen voluntaria in sua causa, eo ipso quod præiussa sint, nec illa Deus acceptet, ut facietas; unde non minus ac alia opera praua in ebrietate commissa culpæ imputantur.

A. B. C. *Vsq. d. 127. c. 3. n. 10. cum Nauar. in Manual. c. 27. n. 230. Couarr. in Clem. Si furiosus, 3. p. in init. n. 4.*

CAPVT III.

IGNORANTIAE OBIECTA.

CVM IGNORANTIA alia sit Iuris, alia Facti. Ius autem aliud sit Naturale, aliud Diuinum positium, aliud humanum; rursum ignorantia alia sit vincibilis, alia inuincibilis, dubium non est, quin ius tam naturale & diuinum, quam humanum vincibiliter saepe ignoretur. Quare necesse est, ut quæ inuincibilis ignorantia obiecta esse possint, præsentī capite indagemus. Et I. quidem agemus de ignorantia Iuris naturalis. II. De ignorantia Iuris Diuini positiui. III. De ignorantia legis humanae. IV. De ignorantia Facti.

Thesis XXI.

Ius naturale
triplex.

IVS NATURALE in tres quasi gradus distribuere possumus, ut inde quid de eius ignorantia decernendum sit, intelligamus. Primus continet iuris naturæ vniuersalissimæ, & per se nota principia. Qualia sunt: Bonum est faciendum, Malum euitandum. Nec non vulgatum illud: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. A. Alter complectitur præcepta, quæ ex primis hisce principiis, immediatè, & facili negotio, à quouis homine rationis compote deduci possunt. Talia communiter recensentur esse præcepta Decalogi, secundum se & sine circumstantia aliqua limitante spectata. B. Postremus comprehendit iuris naturæ conclusiones obscuriores, magisque remotas, quàm sint eæ, quæ in Decalogo absolutè continentur; nec non ipsas Decalogi leges cum aliqua limitante circumstantia consideratas. C. Dicimus autem præcepta Decalogi secundum se, esse v. g. Non occides, non fornicaberis, non dices falsum testimonium, siue non peierabis. Eisdem verò circumstantiam limitantem

rantem assignamus, cum v. g. dicimus: Nullo vnquam casu priuata auctoritate hominem occides, vt ne moribundum quidem vertere in alterum latus liceat, quo citius moriens liberetur à doloribus, ne animo quidem cogitationem veneream deliberatè admittas, etiam absque voluntate operis exequendi; ne mentiaris, etiam si innocuo mendacio Rempublicam liberare possis.

A. B. C. *Vasq. d. 122. c. 2. ex communi.*

XXI. His iuris naturæ gradibus notatis: Afferimus I. non dari ignorantiam inuincibilem circa primi ordinis præcepta naturalia. Sunt namque hæc adeo perspicua, vt nemo ratione præditus nequeat ad ea cognoscenda moueri. A. Idem censemus dicendum de illis Decalogi præceptis, quæ ex huiusmodi principiis nullo negotio à quouis homine deduci possunt; qualia sunt: *Deum esse colendum. & Parentes esse honorandos.* B. Reliqua Decalogi præcepta, quæ in secundo gradu collocauimus, afferimus II. si nulla circumstantia vestiantur, quæ à culpa excusare videatur, posse aliquamdiu ignorari, non tamen toto vitæ tempore, cum sint ita naturæ consentanea, vt non possit non semel, vel sæpius animum pulsare sceleris peccati. Vnde nec Germanos olim, apud quos furta licita putabantur, C. nec Lacedæmones, quibus Lycurgi lege adulteria permissa fuerant; D. à culpa absolui-
mus. Vel enim semper etiam in illa barbarie timor aliquis conscientie remansit, vel certè nimia peccandi consuetudine extinctus fuit. E.

Afferio I.

Afferio II.

A. *Comm. cum S. Thom. q. 94. a. 6. vbi ait, vniuersalia legis præcepta, quæ per se nota sunt, nunquam deleri de corde hominum.* Et *Arist. 3. Eth. c. 1. Ignorantiam vniuersalem ait, non esse inuoluntariam, quod propter illam homines reprehendantur.* B. *Greg. de Valent. 1. 2. d. 6. q. 6. pun. 1. C. Teste Iulio Cesare lib. 6. de bello Gallico. D. Refert Plutarchus in vita Lycurgi. E. Vasq. cit.*

XXII. Sin loquamur de præceptis Decalogi, vt aliqua limitante circumstantia vestitis, nec non de reliquis naturæ præceptis, quæ tertio ordine assignauimus: Afferimus III. aliqua saltem ex illis posse toto vitæ curriculo inuincibiliter ignorari; vt adeò possint esse homines non rudissimi, qui probabiliter licitum esse existiment v. g. mendacium, & secundum quosdam etiam periurium, A. committere, siue ad Rempublicam liberandam, siue ad propriam, proximæ vitæ conseruandam; furtum, præsertim ex rebus hominis locupletis faciente ad erogandam stipem; polygamiam, aut matrimonij solutionem admittere, &c. B. Quod verò aliqui vniuersim affirmant, C. hæc tertij

Afferio III.

ordinis præcepta, toto vitæ tempore inuincibiliter ignorari posse, nobis videtur difficile. Tamen si enim non negemus, delectationem v.g. veneream absque operis exequendi voluntate, & simplicem pollutionem & similia, quod sint peccata mortifera, posse longiore tempore ignorari, quam secundi gradus præcepta; attamen quis credat, hominem mente præditum, præsertim si sit longioris vitæ, posse abique conscientiae remorsu, quoties libuerit, se pollueri, aut venereè oblectari, quam Morosam delectationem solemus dicere? Quo verò Confessarius iudicet, an harum & similium rerum ignorantia in penitente fuerit inuincibilis, diligenter discutiatur, an illius mentem dubium aliquod, vel scrupulus de earum malitia pulsauerit, vel vtrum requisitam diligentiam ad ignorantiam pellendam adhibuerit, iuxta ea quæ superius differuimus. D.

A. B. Sanch. l. 1. Moral. c. 16. Vasq. cit. Stephanus Fagundes in Decalog. præcept. 6. c. 1. n. 12. C. Vasq. Sanch. cit. & de pollutione nominatim affirmat Sanch. Hinc collige non nimium vrgendos simplices penitentes, si post confessiones aliquot factas, primum incipiant confiteri cogitationes venereas seu morosas; oscula inter solutos; mendacia cum vulgaribus attestacionibus prolata, &c. quando bona fide aiunt, antehac non occurrisse sibi hæc in ordine ad confessionem, neque existimasse se, esse grauia seu mortifera peccata. D. Thef. 6. & 7.

Ignorantia
iuris diuini
positiui.

X X I V. Ad I V S D I V I N V M P O S I T I V V M quod attinet, potissima hic quæstio vertitur, vtrum inuincibilis ignorantia dari possit eorum, quæ non nisi Fide diuina cognosci possunt: Quorum quidem alia propter se credenda sunt; vt, Deum esse finem supernaturalem creature rationalis: esse Saluatorem, esse SS. T R I N I T A T E M. Alia verò credenda sunt in ordine ad operationem; vt sunt illa, quæ nobis à Deo reuelantur, non solum vt credamus, sed etiam vt faciamus. Cuiusmodi est Baptismus, Penitentia Sacramentalis, SS. Eucharistia, &c. quæ obligamur recipere. Rursus eorum, quæ propter se credenda sunt, alia sunt de necessitate Medij; alia de necessitate præcepti. A. Iam igitur sunt, qui vniuersim negent dari inter infideles adultos inuincibilem ignorantiam Fide credendorum. B. Alij verò tamen talem ignorantiam concedant, de iis quæ in ordine ad operationem præcepta sunt; attamen de, propter se, & necessitate medij credendis, cum prioribus consentiant. C. Nituntur hi gemino potissimum fundamento. Primum allegant eritum illud: Facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam, & necessaria ad salutem.

Ex

Ex quo sic argumentari licet: Homo infidelis vel facit quod in se est, vel non facit; si facit: Deus aut per se, aut per prædicatorem, reuelabit ei necessaria ad salutem. Si non facit; eo ipso peccat, & propterea ignorantia inde consequens, culpæ imputabitur. Deinde inquirunt: ex opposita sententia sequitur, aliquem aut sine Fide saluandum, aut sine culpa damnandum. Saluandum: quia ex hypothesi, quod talis homo reliqua naturæ præcepta obseruet, & Fidem inculpabiliter ignoret, damnari non poterit. Damnandum verò; quia *sine Fide impossibile est placere Deo*. D.

A. Sic docetur in materia de Fide. Vide dicta in disp. de virtutibus Theolog. 62. §. 3. B. Albertus in 2. d. 22. a. 10. Gabri. q. 2. a. 3. dub. 1. Gerson Alphab. 61. litt. K. & Alphab. 62. litt. 1. & alij apud Vasq. d. 120. n. 1. C. Alexand. Bonau. Adrian. apud Vasq. cit. D. Hebr. 11.

X X V. Verum oppositam sententiam vti communioem hoc tempore, ita longè probabiliorem amplectimur, & asserimus IV. dari inter infideles posse ignorantiam inuincibilem credendorum. A. Multi enim sunt, & fuerunt Gentiles; qui nihil vnquam audiuerunt aut cogitarunt de Fide, imò nec audire, aut cogitare potuerunt; eo quòd Fides & vera Religio illis non sit annunciata, aut sufficienter proposita. Vnde non potuit illis infidelitas vllò modo esse voluntaria; fuit proinde inuincibilis. Ad primum aduersæ opinionis fundamentum Respond. Facienti (per diuinam gratiam, quæ sufficiens nulli etiam Gentili deest) quod in se est, & ita obseruanti legem naturæ, Deum non negaturum notitiam Fidei, & alia salutis subsidia. Quòd si quis non faciat, quod in se est; peccabit is quidem contra legem naturæ: sed nequaquam (in nostro casu) contra præceptum Fidei. Quia vt iam supra docuimus, euentus ad peccatum consequentes culpæ non imputantur, nisi aliquo modo fuerint præuisi, vel præuideri potuerint. Hinc iam facilis etiam ad alterum fundamentum patet responsio. nimirum supposita ordinatione Dei & præscientia; quæ non antecedentem sed consequentem necessitatem adfert, dicimus nullum infidelem ad ultimum moriturum cum solo Originali peccato: sed aut committere peccata actualia, propter quæ meritò damnabitur; aut si legem naturæ seruet, ante mortem, Fidei notitiam consequetur. C.

A. S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 1. Vbi concedit posse dari Infidelitatem negatiuam, quæ nimirum sit absque peccato. Idem expressè tradidit S. Aug. Epist. 105. & tract. 89. in illa verba Ioan. 15. Si non venissem, & locutus eis fuisssem,

Assertio
IV.

pecca-

peccatum non haberent, videlicet peccatum infidelitatis. B. Theſ. 17. 18. & 19. C. Vaſq. cit. c. 4. n. 13.

XXVI. Ex iis, quæ mox aſſeruimus, Colligitur I. non peccare infideles peccato infidelitatis ſtatim, atque illis Myſteria noſtræ Fidei proponuntur; quia non ſtatim cuique proponenti, fidem habere obligantur. Sed tum demum id peccatum committunt, quando eadem ſufficienter propoſita, non credunt. Sufficienter autem proponi cenſentur, quando confirmantur conſutatione errorum, quibus implicati ſunt infideles, viræque ſanctitate, & bonis rationibus ſeu motibus credibilitatis, quæ ipsis ſufficiant ad credendum. A. Colligitur II. non ſolum ignorantiam, ſed etiam errorem inuincibilem reperiri poſſe in iis Myſteriis, quæ rationi naturali non repugnant. Si enim aliquis ab Ariano v.g. primò incipiat inſtrui, qui vitæ honeſtate exterius fide dignus exiſtimetur, & reliqua noſtræ Fidei rectè proponat, ſed de ſola Filij cum Patre æqualitate errorem doceat, quis neget talem infidelem inculpabilem hauſturum errorem? B. Hinc colligitur III. quod de Infidelibus aſſirmauimus, idem dicendum eſſe de hæreticis: nimirum etiam apud iſtos dari poſſe inuincibilem ignorantiam, & inculpabiles errores. quando ſcilicet inter hæreticos enutriti ſimpliciter ſuis maioribus credunt, nec adhuc ſufficienter vident eos errare. C.

A. Franciſc. Victoria in Relect. de Indiis. concl. 2. 3. & 4. Caiet. 2. 2. q. 1. a. 4. B. C. Vaſq. cit. 5.

XXVII. Sed nunquid etiam inter ipſos fideles dari poteſt ignorantia inuincibilis eorum Myſteriorum, quæ communiter Chriſtiani credenda præcipiuntur, continenturque in Symbolo Apoſtolicò? Reſpond. tametsi omnes Chriſtiani, per ſe loquendo obligentur ad credendum omnia Myſteria, quæ in Symbolo contenta ſunt, quæque ad ſubſtantiam credendorum pertinere alibi tradidimus; A. attamen etiam aliquorum ex iſtis dari poſſe apud ſimpliciores ignorantiam inuincibilem. B. Poteſt namque fieri, tales, præſertim ſi ruſtici ſint, nihil de huius præcepti obligatione audiuiſſe; vel ſi audierint, nihil obſcuritatem ſtupiditatem percepiſſe: aut ſi perceperint, aliis negotiis diſtentos, prorsus huius obligationis eſſe oblitos; vel certè tempore, quo diſcere potuerunt, caruiſſe doctore, à quo inſtituerentur; vel denique nullum illis dubium de hac obligatione occuriſſe. In quo euentu etiam circa leges ad ſtatum cuiusque pertinentes, poſſe ignorantiam inuincibilem dari, paulò poſt docebimus.

A. disp. de Fide Thef. 36. B. Vafq. d. 121. c. 2. Gregor. Sayr. Clauireg. l. 2. 9. num. 15.

XXVIIII. LEGIS HUMANÆ dari etiam IGNORANTIAM INVINCIBILEM, apud Theologos indubitata res est. Qui regulam illam iuris: *Ignorantia facti non iuris excusat*, A. secundum fori externi presumptionem, non autem in foro conscientie intelligendam esse censent. B. At non ita consentiunt in assignanda regula, quando ignorantia iuris, seu legis humanæ sit invincibilis. Nos quo apertissime nostram sententiam declaremus: considerabimus leges humanas in triplici ordine positas. Primus continet leges communes, seu toti civitati vel Reipublicæ latas. Secundus comprehendit leges communes quibuldam certis hominum operationibus, v. g. Contractibus. Tertius complectitur leges ad statum peculiarem personæ seu cuiusque officium pertinentes. Iam igitur quamvis facile omnes concedant, primi ordinis legum dari ignorantiam invincibilem, eo quod has omnes nosse, multis è Communitate humano more, sit impossibile, aut etiam illas scire ad eos nihil attineat; sunt tamen qui existiment, nec secundi, nec tertij ordinis legum humanarum dari posse ignorantiam invincibilem. Qui enim inquit, Contractibus, aliisque negotiis operam dant, scire debent leges pro talibus operationibus latas. Et quisque etiam norit oportet, quæ ad statum, officiūque suum pertinent. C. Verum contra affirmamus, & asserimus V. etiam secundi, & tertij ordinis legum, dari posse ignorantiam invincibilem. Secundi quidem: D. quia etiam dum quis sciens esse leges uniuersim constitutas, aggreditur Contractus, vel alias operationes, non eo ipso statim illi semper occurrit dubitatio, an sint leges pro hoc opere particulari. Tertij verò: quia ut istarum quoque ignorantia sit vincibilis, nec à culpa excuset, necesse est, ut quis prius nouerit esse leges circa dispositionem sui status, aut officij. Sin id non nouerit, nec aliquod dubium de eo concepit, erit ignorantia invincibilis. Superat namque humanam diligentiam, expellere ignorantiam illius rei, cuius nulla profusus incidit cogitatio. E.

Ignorantia
Legis hu-
manæ.

Assertio V.

A. Regul. Iuris. 13. in 6. B. Vafq. d. 123. c. 2. Vbi notat etiam in foro externo invincibilem ignorantiam iuris admitti in militibus, mulieribus, minoribus 25. annor. & rusticis. Imò admittitur etiam in aliis si legitime probari possit, ut præter alios docet Sanch. lib. 9. matr. dis. 32. n. 4. de quo vide inferius Thef. 34. & 35. C. Alphons. de Castro l. 2. de leg. penal. cap. 14. & insinuat S. Thoma.

S. Thom. q. 76. a. 2. D. E. Vasq. cit. Fagundes in Decalog. precept. 8. cap. 25. num. 17.

XXIX. Verum discrimen assignamus inter leges pertinentes ad statum personæ peculiarem, & inter generales, quas in secundum ordinem retulimus. Quod de illis facilius incidat ratio cogitandi, aut dubitandi, an nimirum sint aliquæ, qualæque sint, quam de istis, *A.* Et si iam inciderit dubium & cogitatio de lege, seu generali operis, seu particulari personæ: tunc ut quis à culpa excusetur, & ita eius ignorantia inuincibilis, seu verius, probabilis existat, *B.* necesse est diligentiam adferat ad sciendum, utrum lex sit, necne. Quam attulisse censetur, si in ea re peritos consuluerit, vel aliam, prudentis arbitrio æstimandam curam adhibuerit. Posteaquam verò intellexerit esse leges vel generales operis, vel ad statum pertinentes, requiritur, & sufficit, iuxta superius dicta: *C.* ut si ipse doctus non sit, viros pios ac doctos, carentes morali suspitione deceptionis, consulat, eorumque sententiam sequatur. Sin horum copia non suppetat, tunc proprio studio & meditatione, cum morali diligentia, oportet veritatem inquirat. Quam etiam si quis adhibuerit, continget tamen aliquando ipsum inculpabiliter ignorare; ut proinde merito aliquid indulgendum sit humanæ infirmitati. *D.* Cæterum quando officium per se in homine doctrinam requirit; puta si sit Confessarius, Iudex, aduocatus, &c. tunc procul dubio maior diligentia & industria exigitur, ut quisque leges sui officij intelligat. Quanta verò ea diligentia esse debeat, etsi ex propriis locis seu materiis peti possit, non potest tamen vniuersim definiri. Vnde & hic prudentis arbitrio standum erit. *E.*

*A. Vasq. cit. B. Vide notas ad Thes. 7. C. Thes. 7. D. Vasq. cit. n. 7. Quando verò & quomodo licitum sit, si circa legem explicandam diuersæ sint opiniones Doctorum, alterutram ex probabilibus amplecti explicatum est in diss. de Humanar. actionum bonitate, cap. 2. §. 4. Hoc tantum hic aduertito: quando pars, quam sequeris, à parte rei falsa est, tunc esse ignorantiam propriè probabilem. Secus si vera sit; tunc enim non erit ignorantia, sed opinio seu cognitio probabilis. *E. Vasq. cit. n. 7.**

XXX. Ex his pro praxi deducitur, excusari ignorantem v. g. ieiunia vel festa, & ob id non seruantem, quæ in hebdomade occurrunt; quando die Dominico Missæ solemni, vel Concioni interfuit, in qua Parochus illa indicare consuevit, nec tamen indixit. Quia sic ignorans moralem diligentiam communiter adhiberi solitam, in eam rem sciens.

sciendam contulit. A. Idem dicendum, si non interfuit, sed rogauit eos qui interfuerunt; quando isti respondent, ieiunia aut festa non fuisse indicta à parocho; siue deinde culpabiliter, siue inculpabiliter templum non adierit. Nam si culpabiliter non adiit, peccauit quidem transgrediendo præceptum Ecclesiæ de audienda Missa, sed quia hunc accessum ad Ecclesiam, aut non apprehendit ut medium sciendi, aut si apprehendit, sufficientem alios interrogando diligentiam ad sciendum attulit, à peccato ignorati ieiunij, seu festi, & non obseruati, excusabitur. Quando verò neque ipse interfuit, neque alios interrogauit, & ita ignoret, censetur ignorantia esse culpabilis; nec excusabit contra legem ieiunij, aut diei festi, operantem. Quod tamen intellige, quando is principium aliquod saltem dubitandi habuit, an aliqua festa aut ieiunia in illa hebdomade occurrerent. B.

A. Azor. lib. 1. c. 12. q. 3. B. Iuxta superius dicta Thef. potissimum 6. & 8.

XXXI. Postremò quod attinet ad IGNORANTIAM FACTI: examinamus quidam non dari ullam inuincibilem facti ignorantiam. A. Ignorantiam Facti. Fundamentum eorum fuit; quia ut aliquam ignorantiam expellamus, non sufficit, ut interrogando, inquirendo & studendo exterius diligentiam adhibeamus; sed necesse præterea est, ut interius conscientia per poenitentiam emundata Deum oremus; qui ubi id præstiterimus, non patietur nos ignorare quicquam de necessariis Iuris, seu Facti. Nonnulli vniuersim affirmarunt, tunc non esse inuincibilem ignorantiam Facti, quoties quis dat operam rei illicitæ, unde euentus malus ex ignorantia sequitur. B. Probare hoc sibi videntur ex quibusdam textibus Iuris Canonici, in quo dum Pontifex à poenis quibusdam (adeoque etiam à culpa) immunem pronunciat eum, qui casu ex ignorantia homicidium patrauit, frequentius addere, vel certe supponere solet illam particulam: & aliàs non dabat operam rei illicitæ. C. Ex quo inferunt isti, eum qui dabat operam rei illicitæ, etiam si casu hominem occiderit, poenam irregularitatis incursum, & consequenter à culpa non excusandum; & propterea nec ignorantiam ipsius fore tunc inuincibilem, quia tamen Irregularitas sæpe incurratur absque culpa; quando tamen illa infligitur ut poena, sicut fertur in homicidas, tunc non incurritur absque peccato.

A. Wilhel. Parisiens. tract. de legib. c. 21. Antisiodorens. l. 3. Summa. tr. 8. c. 4. q. 5. in corp. & ad 3. & A. apud Vasq. 1. 2. disp. 124. c. 1. B. Gabr. in 4. d. 15. q. 14. q. 3. dub. 2. C. cap. Dilatui. & cap. significasti. & cap. Ioannes de homicidio.

XXXII.

D

Affertio
VI.

XXXII. Verum vniuersim affirmamus saepe dari Ignorantiam inuincibilem Facti; siue quis aliàs licitæ, siue illi citæ rei det operam. A. Idque satis probari potest ex iis, quæ cum de inuincibili Ignorantia vniuersim; tum de ignorantia iuris hæcenus disseruimus. Dicimus igitur, & asserimus VI. Ignorantiam Facti inuincibilem tunc fore, quando nulla notitia, nec specialis nec confusa in vniuersum, nec aliqua ratio dubitandi, de malitia rei, aut alicuius circumstantiæ ipsius, menti operantis occurrit. Talis enim ignorantia nulla humana expelli potest consultatione; vt quæ supponit naturalem quandam apprehensionem rei, circa quam versari debet. Sin menti occurrit aliqua dubitandi ratio, de euentu, aut circumstantia eius, & post diligens examen (prudētis iudicio æstimandum) an adsit malitia aliqua moralis, mens nihilominus iudicat, nihil tale subesse, dicitur propriè ignorantia *probabilis*. Sed perinde est, siue probabilem hanc, siue inuincibilem appelles. nam in genere moris idem valent, & communiter vtrâque confundunt Auctores. B. Ad fundamentum primæ opinionis respond. Si quis per diuinam gratiam ea præstet, quæ Auctores illius sententiæ assignant, adeoque *faciat quod in se est*; Deum non permissurum, vt ignoret ea, quæ ad salutem absolutè necessaria sunt: vt sunt Mystéria Fidei, & alia quæ sunt *de necessitate medij*. C. Poterit tamen nihilominus talis multa ignorare, quæ si scienter negligeret aut patraret, peccata forent: sed quia illa ignorat inculpabiliter, salutem non impediunt. Accedit quod ignorantia possit esse peccati pœna, adeoque inuincibilis, etiamsi homo prædicta non omnia præstet. D. Denique nos supra ostendimus, præparationem animi per poenitentiam, non nisi rarò esse medium, aut saltem sciri tale esse, ad pellendam ignorantiam in particulari. E. Ad fundamentum secundæ sententiæ resp. Dialecticis notum esse, non valere argumentum à sensu contrario. Vnde cum Ius ab Irregularitate excusat eum, qui casu occidit hominem, & non dedit operam rei illicitæ, non licet inde inferre: Ergo qui dedit operam rei illicitæ, & casu occidit, erit irregularis. Nisi hoc statuat aliquo casu in Iure expresso. F.

A. Sil. verb. ignorantia. q. 6. Alphons. de Castro l. 2. de lege penal. c. 14. proposit. 2. Couar. in cap. Alma mater. 1. p. §. 10. n. 16. Caiet. 1. 2. q. 76. a. 3. Vasq. d. 124. c. 2. B. Vasq. cit. vide notas ad thes. 7. C. De quibus thes. 24. & 25. D. Vasq. cit. c. 1. E. thes. 7. F. Vasq. cit. c. 2. Suar. de Censuris disp. 45. sect. 6.

XXXIII. Ex his facillè deducuntur varij casus, qui vel ex eo no-
mine

mine notandi sunt, vt ea quæ inferius de ignorantia ad pœnas & Censuras relata, in medium afferemus, leuiore negotio intelligantur. Dicimus itaque I. eum, qui siue licitæ siue illicitæ venationi dans operam, occidit hominem, quem inuincibiliter putabat esse feram, à culpâ homicidij immunem fore; quia habuit ignorantiam inuincibilem. Facti. A. II. Eum qui priuata auctoritate voluntariè occidit Sacerdotem, quem putabat esse laicum, homicidam quidem esse, sed sacrilegium non esse. quia interuenit inuincibilis ignorantia, non quidem facti torius, sed circumstantiæ facti. B. III. Pari modo, si quis solutus accedat ad coniugatam, inuincibiliter existimans esse solutam; is non committeret, nisi simplicem fornicationem, ob parem circumstantiæ ignorantiam. C. IV. Si verò accefferit ad aliquam dubitanem solutane, an ligata esset, nec adhibuit diligentiam, vt dubium expelleret; adulterij culpam contrahet, siue re ipsa soluta fuerit, siue ligata. D. Idem proportionem facta, dicito de eo, qui hominem occidit, dubitans an inuincibiliter ignorans, Sacerdos an laicus esset. talis enim non simplex homicidium, sed homicidium iunctum sacrilegio committet. Nam ad culpam contrahendam satis est non cauisse periculum, etiam si à parte rei & illa coniugata, & hic Sacerdos non fuerit. E. Quid autem de pœnis lege humana in eiusmodi delinquentes statutis tenendum sit, iam iam aggredimur explicare.

A. B. *Conar. cit. n. 15.* C. *Fagundez in Decal. precept. 8. n. 17.* *Conar. cit. n. 16.* D. E. *Deducitur ex generali doctrina de Conscientia dubia. de qua vide de disp. de Act. hum. bonit. Thes. 39.*

CAPVT IV.

IGNORANTIA IN ORDINE AD
pœnas considerata.

Cum pœnæ propter peccata infligi solite, alia sint diuinæ, hoc est, à DEO ipso in peccantes constituta, quas inter potissima est pœna damni, & sensus eterna: alia verò humanæ, nimirum ab homine lata. Et hæc rursus alia sint Ciuiles, alia Canonice, siue Ecclesiasticæ: solet de istis omnibus moueri questio, an ab illa ignorantia siue Iuris, siue Facti, nec non etiam ipsius pœna ignorantia

*rantia, operantem excuset; à quibus si sciens volens actionem, aliis
pœna dignam, exerceret, nequaquam liber euaderet. Volumus autem
sub pœnis Canonicis hoc loco comprehensas, non solum Censuras
propriè dictas, puta Excommunicationem, Suspensionem, &
Interdictum, quæ semper culpam supponunt; sed etiam Irregulari-
tatem, aliâque impedimenta Canonica, siue inhabilitates, ut
vocant; nec non quorundam actionum inuvalidationem seu irrita-
tionem; & denique certorum peccatorum sine Casuum reserva-
tionem. Quia licet hæc ob alios fines, quam propter delinquentis
culpam vindicandam, statui soleant: attamen quandoque etiam in
scelerum vindictam, pœna loco infligi consueverunt. Intelligimus
verò hic per irritationem aduuum, eam quæ lege aut Superioris po-
testate decernitur. Nam de ea quæ operantis ipsius ignorantia, seu
errore operationem v. g. contractus alicuius, irritam facit, dicemus
capite sequenti.*

Thesis XXXIV.

Affertio I.

Afferimus I. Vniuersim loquendo, omnem ignorantiam, quæ ex-
cusat opus, ne peccatum sit, excusare etiam debitum pœne cum
in interno, tum in externo foro. *A.* Et quidem si loquamur de igno-
rantia iuris diuini, tam naturalis quàm positiui, de quæ pœnis diuinis:
aut etiam de ignorantia facti, res difficultatem non habet. Nam eo
ipso quòd pœna non nisi ob culpam infligitur, cessat debitum pœne
exsoluendæ, ubi peccatum deest, eiusque iusta excusatio admittitur:
quemadmodum admittitur apud Deum, quando adest cuiuscunque
iuris, aut facti, inculpabilis ignorantia: & apud hominem iudicem,
quando adest ignorantia facti. *B.* De ignorantia iuris, seu legis huma-
næ, & pœnis ab homine constitutis, res nonnullam difficultatem ha-
bet, ob regulam iuris supra allegatam: *C. ignorantia facti, non iuris excu-
sat.* *D.* Sed dicimus assertionem etiam ad ignorantiam iuris, & pœnas
humanas, extendendam. nam ratio paulò ante allata, etiam hic lo-
cum habet. Et iam superius docuimus, *E.* etiam iuris dari inuincibi-
lem ignorantiam, quæ à culpa operantem liberet; quæ in foro exter-
no probari possit, etiam à pœna liberabit. Sin probari nequeat, & ita
quis

quis pro culpa præsumpta puniatur, tunc si lex poenam ponat ipso facto incurrendam ante omnem declarationem, non obligabitur in conscientia illam in eo euentu implere. Quod si per iudicem condemnatur, quia deficit in probatione, & ipse sit conscius suæ inuincibilis ignorantiae, licet exterius teneatur parere, attamen in conscientia non obligatur exequi poenam, nisi exinde scandalum timeatur. F.

A. Sanch. lib. 9. matrim. disp. 32. n. 29. Fagund. cit. n. 17. cum Comm. & sumitur ex cap. 2. de Constitutionibus. ubi dicitur: Rem quæ culpa caret, in damnum vocari non conuenit. Et ex reg. 23. de reg. iur. in 6. in qua dicitur: Sine culpa non est aliquis puniendus. Et ex cap. Apostolica. de Clerico excom. ministrante. & cap. Ut animarum. de Constitut. in 6. & cap. proposuisti. dist. 82. ubi habetur; Ignorantibus non esse denegandam veniam. B. C. Reg. iur. 13. in 6. D. E. Thef. 28. F. sumitur ex cap. Cum te de sententia & re iudicata.

XXXVII. Porro legitimè probabitur ignorantia inuincibilis Iuris I. Si in re dubia reus iusiurandum præstet, se iuste ignorasse. A. II. Si reus probet se abfuisse à loco, quando facta est promulgatio legis. B. III. Si reus probet legitimum impedimentum, v.g. se grauiter & periculose ægrotasse, vel furiosum, seu amentem fuisse tempore, quo facta est legis promulgatio. IV. Si reus testem producat, qui iureiurando confirmet, ipsum bona fide legem ignorasse. Sed aduerte, hac in re iusiurandi vim tolli, si aut contrariæ coniecturæ probabiles appareant; aut contra iusiurandum faciat vehemens præsumptio Iuris. C. Admittitur V. etiam ignorantia Iuris, quando Ius est obscurum, ambiguum, vel dubium. VI. Quando vsus Iuris frequens non est. VII. Quando reus allegat se id fecisse alicuius magni Doctoris Classici auctoritate. D. VIII. Denique admittitur ignorantia Iuris, non quidem vniuersum, sed in certo genere; quantum nimirum attinet ad ius aliquod sibi comparandum; in militibus, rusticis, mulieribus & minoribus. puta si aliquid sibi debitam non repetierint, acquiuerint, aut sumperint. E.

A. B. cap. Cum in tua. Qui matrim. accusare possunt. & ibid. Abbas. C. Sanch. l. 9. matrim. d. 32. n. 5. ubi rectè ex Castro monet coniecturas contra iusiurandum datum, debere esse violentas, & adeo apertas, vt rem ipsam quasi indice demonstrare videantur. Non enim facile credendum aliquem adeo saluti sue immensorem, vt peierare velit. D. Azor. tom. 1. Institut. c. 16. q. 2. E. Leg. 9. ff. de Iuris & facti ignorantia. Et leg. Ne passim. Cod. de iur. & facti ignor.

XXXVI. Ex dictis colligitur I. Eum qui inuincibiliter ignorans legem Ecclesiasticam aliquid sub pœna Excommunicationis præcipientem, aut vetantem, eam transgreditur, ac propterea per sententiam Iudicis excommunicatur, eo quod in probatione deficiat; posse apud illos, qui eius innocentiae sunt conscii, sacris interesse, & Sacramenta percipere, aliâque Christiani hominis, & si Clericus sit, sui status officia exercere. *A.* Secus si versetur inter eos, qui sententiam in ipsum latam norunt, & interim nesciunt eius ignorantiam fuisse inculpabilem. *B.* Nam inter istos ad vitandum scandalum debet se publicè gerere pro excommunicato, donec suam ignorantiam sufficienter probet, aut absolutionem obtineat. Idem dicendum de suspensione, aliisque pœnis Ecclesiasticis. *C. II.* Irritationem à lege constitutam, si tantum in pœnam imposita sit, per ignorantiam, quæ à culpa excusat, impediri. Sic Clericus, qui ex obliuione naturali omittit Officium diuinum, facit fructus suos, non obstante lege pœnali, irritante acquisitionem fructuum contra non recitantes lata. Cum enim per illam obliuionem cesset culpa, cessabit & pœna. *D. III.* Eum, qui alioquinouit esse sub excommunicatione prohibitam lectionem libri hæretici, sed per naturalem inaduertentiam eius prohibitionis, ex tali libro legit, etiam notabilè partem, talem non excommunicari. Quia, ut diximus, inaduertentia naturalis æquiualeat ignorantiae inuincibili. *E.*

A. Bonacina tom. I. de Censur. disp. I. q. I. p. n. 10. n. 6. Layman. lib. I. tr. 5. p. I. c. 6. n. 3. Auila part. 2. c. 6. disp. I. dub. 3. Suar. de Censur. disp. 4. sect. 7. n. 20. Vnde talis Clericus actum sui Ordinis exercens, non fit irregularis. B. Henric. lib. 13. c. 15. n. 4. dicens Clericum publicè cum scandalo celebrantem fieri irregularem. Quamquam Fikic. lib. I. tr. II. c. 8. n. 237. existimat talem non incurere irregularitatem in foro interno, etiamsi cum scandalo & peccato mortalifaciat actum sui Ordinis. C. Sanch. lib. 9. matr. d. 32. passim. D. Azor. p. I. lib. 10. c. 14. q. 7. Bonacin. to. I. de horis Canon. disp. I. q. 5. p. n. 2. n. 4. E. iuxta dicta Thes. 2.

XXXVII. IV. Colligitur eum, qui percutit Paulum Clericum, quem inuincibiliter existimat esse Petrum laicum, peccare quidem contra præceptum naturale, & diuinum, attamen excommunicatum non esse, propter inuincibilem ignorantiam facti, siue circumstantiarum facti. *A. V.* Clericum excommunicatum, si contra excommunicationem appellet, credatque bona fide suam appellationem esse legitimam ac validam, non fieri irregularem faciendo rem diuinam; etiam-

si postea iuridice decernatur, appellationem illegitimam fuisse. Quia ipsum ante hanc sententiam excusabat ignorantia probabilis. B. VI. Sacerdotem, qui absens à sua Dioecesi excommunicatus fuit, & huius Censuræ ignarus Missas facit, non contrahere Irregularitatem, nec alias poenas latas in excommunicatos. C. VII. Eum qui inuincibiliter, aut probabiliter ignorat, se esse excommunicatum, si tempore debito confiteatur sua peccata Sacerdoti, alioquin absoluedi à tali censura facultatem habenti, obtenturum gratiam Sacramentalem; nec obligari ad iterandam Confessionem, si postmodum resciscat se fuisse excommunicatum. D.

A. cap. Si verò de sent. Excomm. B. Roderiq. in Sum. tom. 1. c. 167. n. 9. S. Nec est. Et in simili Bonacin. tom. 1. de Censur. disp. 1. q. 2. pun. 3. propos. 3. Auila part. 2. c. 5. disp. 5. dub. 12. Laym. lib. 1. tr. 5. c. 6. n. 2. ex cap. Ad presentiam. de appellat. C. c. Apostolica 9. extr. de Cler. excom. ministrante. D. Nauar. in man. c. 26. n. 13. Bonac. t. 1. de Pœnit. Sacram. disp. 5. q. 5. s. 2. pun. 3. n. 5. S. Qui verò. Lugo de Pœnit. disp. 20. sect. 7. Tolet. lib. 3. c. 10. in prin. Laym. lib. 1. tr. 5. part. 2. c. 6. num. 10.

XX XV III. Afferimus II. Eum qui aut nouit, aut vincibiliter ignorat, legem diuinam, vel naturalem; si legem transgrediatur subijci poenæ, iure diuino vel naturali debitæ peccato, etiam si eius poenæ ignarus sit. Quare quicunque, etiam Gentiles, qui ius diuinum vel naturale percurrunt, quamuis inferorum poenas ignorent, eo ipso sunt æternis suppliciis obnoxij, quòd hæc obligatio non oriatur ex consensu Gentilium, contra leges & iura, peccantium; sed ex potestate DEI, qui tales poenas peccantibus constituit. Accedit, quòd quicunque scienter, seu culpabiliter ius diuinum vel naturale violat, interpretatiue saltem cognoscit sibi poenas sufferendas, quas peccata promerentur; et propterea sponte se obstringit DEO legislatori, ad luendam poenam flagitio designato parem; quamuis distinctè, & in particulari non norit, qualis illa sit, & quamdiu duratura. A.

A. Azor. cap. 15. q. 1. cum Communi.

XX XI X. Afferimus III. Eum qui scienter in Ius diuinum aut naturale delinquit, ignoret autem poenam iure civili statutam in eos, qui diuinam naturalemue legem conuellant, esse iuris civilis poenæ subiectum. Sic fures suspenduntur, homicidæ gladio necantur, relegantur alij, alij bonorum publicatione vel confiscatione plectantur, heretici, ubi inquisitio viget, exuruntur, &c. nam sufficit, si is qui peccat,

Afferio
III.

eat, non erit, opus quod facit, aduersum diuinum, naturale ius pugnare, ac sese leges ipsas & iura eiuscemodi labefactare. Etsi enim pœnæ iure ciuili irrogentur, non tamen ex consensu peccantium pendunt, sed ex principum auctoritate imponuntur, ne delicta mancant impunita, & ne boni vexentur à fontibus, ac vt improbi & facinorosi deterreantur à vitiis. A. Quod autem hoc loco dicimus de pœnis ciuili iure irrogari solitis, id ipsum extendimus ad eas quoque pœnas à Iudice Ecclesiastico constitutas, quæ ciuilibus sunt similes; vt est incarceration, confiscatio bonorum, multa pecuniaria, &c.

A. Azor. cit. q. 2.

Affertio
IV.
Ignorantia
Iuris Ec-
clesiastici
excusat à
Censuris.

X L. Qua quidem in re discrimen constituimus inter *ciuiles*; aut *quasi ciuiles*, & inter *pœnas Canonicas*, puta Excommunicationem, suspensionem, & Interdictum. de quibus assertimus IV. Vt quis hæc pœnas euadat, sufficere earum inuincibilem seu probabilem ignorantiam, etsi sciens volensque ius naturale, aut diuinum perfringat. A. Rationem discriminis pœnarum Canonicarum à ciuilibus damus hanc, & inde assertionem nostram confirmamus. Quia nimirum pœnæ istæ canonicæ feruntur in eos, qui non obtemperant Ecclesiæ legibus ac decretis; sed is qui huiusmodi iura legesque bona fide ignorat, contra ea facere non censetur. At verò Ciuiles pœnæ specialem eiuscemodi contemptum, vel contumaciam non postulant, sed sola Principis potestate irrogantur; cuius proinde sola auctoritate, etiam citra specialem Principis ipsius contemptum, violatores iuris diuini vel naturalis, pœna debita, puta exilio, carcere, flagris, aut etiam morte mulstantur. Fauet nostræ assertioni vel ipsum Ius Canonicum, quod vno quidem loco decernit, *Pœna quantitatem proportionari debere quantitati delicti*. B. Vnde cum leuius sit delictum, vbi frangitur lex ignoratis grauissimis & extraordinarijs pœnis, minorque legis contemptus sit, non est æquum ipsdem pœnis subijci ignorantem. Alio verò loco statuit; *Ignorantes non ligari sententiis*. C. Quod decretum, cum animabus faueat, generalitèrque de ignorantia loquatur, videtur amplè interpretandum, vt accipiatur, non de sola Iuris ignorantia, sed etiam ipsius pœnæ. Et quia textus de omnibus sententijs Ordinariorum loquitur; dicit enim indefinitè: *Sententijs quorumcunque Ordinariorum*; de omnibus pœnis spiritualibus, intelligendus est. Indefinita enim iuris propositio, tradens regulam (vt fit in dicto exemplo) æquiualeat vniuersali, præsertim si fauorem contineat. D.

*A. Scot. in 4. d. 22. q. 1. a. 2. cas. 4. Propos. 3. Angelus, verb. Excomm. 7. casu
ult. n. 3. Antonin. 3. p. tit. 24. cap. 33. ad finem. Syluest. v. Ignorantia. q. 8. v. 3. &
alij, quos refert & sequitur Azor. c. 15. q. 3. Sanch. l. 9. Matrim. d. 32. n. 9. Ma-
rius Alterius. tom. 1. disp. 2. lib. 3. c. 3. B. cap. Felicis. de penis. in 6. C. cap. Ut ani-
matum. de constitut. in 6. D. Couar. l. 1. variar. resolut. c. 13. n. 8. Sanch. l. 3.
Matrim. d. 44. n. 2. & l. 9. d. 32. n. 17. 20. & 31. iuxta Gloss. c. ut circa. verb. A-
lterum. de elect. in 6.*

XL I. Non negamus esse graues Auctores, qui opinentur trans-
gressores legis naturalis, aut diuinæ positivæ, incurrere censuras, aliás-
que poenas à iure communi statutas, etiam si laborent harum inuinci-
bili ignorantia. *A.* Pro quorum sententia aduersus nostram obijcitur
illud ipsum decretum Romani Pontificis, quod pro nostra assertione
roboranda posteriore loco attulimus, quodque sic se habet: *Ut anima-*
rum periculus obuietur, sententiis per statuta quorumcunque Ordinariorum li-
gari nolumus ignorantes; dummodo tamen eorum ignorantia crassa non fuerit,
aut supina. Vbi à contrario sensu colligere licet: cum decreto illo ali-
quid singulare decernatur de statutis Ordinariorum, aliter sentien-
dum esse de statutis Pontificis supremi, qui non est Ordinarius, sed v-
niuersalis Iudex. Confirmatur: quia Pontifex dicens nolle se ignoran-
tes ligare iis statutis; ostendit id de nouo se statuere. Ergo secluso illo
decreto, secus esset dicendum; & per consequens, cum Pontifex eo
non comprehendatur, eius statuta ligabunt etiam ignorantes. Præter-
ea obijcitur: Quia alio loco, *B. Ius Canonicum ait, eos qui iuris igna-*
ri Clericos percusserunt, indigere dispensatione. Ergo incurrerunt
Excommunicationis censuram. Postremò obijcitur: Quia obligatio
subeundæ poenæ est naturalis, & ex auctoritate legislatoris, non ex
consensu delinquentis dependens. Ergo subeunda est, siue eam norit,
siue ignorarit, qui legem naturæ, vel diuinam violauit.

*A. Scot. in 4. d. 6. q. 8. a. 1. Gabriel in 4. d. 6. q. 2. a. 9. dub. 8. Adrianus in 4.
de Clau. q. 3. §. sed magis dubium. & alij apud Azor. cit. B. cap. Cum illorum.
de sent. Excommunicat.*

XL I I. Sed respond. ad I. à contrario sensu deductum argumen-
tum in iure non esse semper firmum & certum, si præsertim ex ipso
iure contrarium colligatur; aut si specialis ratio oppositum ostendat,
A. Deinde respond. Tamen si verba illius decreti propriè tantum lo-
quantur de statutis Ordinariorum, attamen decisionem etiam intel-
ligendam de statutis Pontificiis; tum quia Pontifex iuxta aliquos eti-

am est Ordinarius. Tum quia etiam si dicamus Pontificem nomine Ordinarii non venire; valet tamen ratio ibi allata, etiam in illius statutis. Nam cum hæc facilius ignorentur, quam statuta propria loci, in quo habitamus, maius foret periculum, si illis ligarentur ignorantes, quam si his ligentur. *B.* Ad confirmationem resp. verbum, *Nolumus*, non semper significare omnino nouum ius condi in re, quæ antea obligabat, sed aliquid prohiberi, siue aliàs licitum sit, siue non. Ad alteram obiectionem resp. illo loco agi de iis, qui ob violentam in Clericos manuum iniectionem excommunicati sacros ordines suscepunt; statuique illos à susceptorum Ordinum administratione arcendos, usque dum dispensationem obtineant, etiam si ignorantes id fecerint. Vbi cum Pontifex indifferenter æquè agat de ignorantia facti, & iuris; factumque inuincibiliter ignoratum, etiam ipso iure Canonico teste, à pœna excuset, *C.* necessariò dicendum est, eo loco agi de ignorantia improbabili & vincibili, non de inuincibili & inculpara. Ad postremam obiectionem resp. obligationem illius pœnæ subeundæ naturalem esse, seu potius necessariam, etsi à delinquente ignoretur, quæ vel à DEO, vel ab iudice homine absolute & citra specialem contemptum irrogatur. Secus dicendum de pœna canonica, quam diximus non nisi in non parentes Ecclesiæ, & eiusdem contemptores decerni, qui contemptus si absit, sicuti pœna canonica non incurritur, ita nec eius obligatio. *D.*

A. Azor. c. 15. q. 3. §. ad obiecta. Sanch. l. 9. Matrim. d. 32. n. 11. B. Sanch. cit. C. Regul. ignorantia. 13. de Reg. iur. in 6. D. Vide dicta Thes. 40.

Affertio V.
Ignorantia
inuincibilis
censuræ, ab
eadem ex-
cusat.

X L I I I. Extendimus postremam nostram assertionem, & assertimus *V.* Non solum eum qui sciens, aut culpabiliter ignorans, peccat contra ius naturale aut diuinum; si interim inuincibiliter ignoret id ipsum iure quoque Ecclesiastico esse prohibitum, à censuris immunitatem permanere; sed etiam eum, qui scit aliquid iure Ecclesiastico esse vetitum aut præceptum, & contra operatur; dummodo bona fide ignoret, eidem prohibitioni aut præcepto annexam esse Censuræ comminationem. *A.* Idcirco enim ad valorem censuræ requirunt iura præuiam admonitionem, sub comminatione censuræ; ac propterea sicuti is, qui admonitus sub interminatione censuræ non fuit, excusatur à censura, ita qui nihil sciuit de censura. *B.* Idque verum est, siue ea censura fuerit imposita ab ipso iure communi, siue particulari, seu ab Episcopo; siue ab ipso met summo Pontifice. Eadem enim videtur esse ratio.

ratio. C. Hinc si quis norit quidem lectionem libri hæretici vetitam esse ab Ecclesia, ignoret tamen sub interminatione Excommunicationis esse prohibitam, peccabit quidem legendo præceptum Ecclesiæ, sed non erit excommunicatus. Pari modo si quis sciens prohibitum esse ab Ecclesia, ne Clerici percutiantur, ignoret tamen latam esse Censuram in percutientes, percutiendo violabit ius naturæ & præceptum Ecclesiæ, Excommunicationem tamen non incurret.

A. *Nauar. in Man. c. 23. n. 47. & c. 27. n. 16. & n. 274. Mar. Alterius tom. 1. disp. 2. l. 3. c. 3. Suar. tom. 5. de Censur. d. 4. sect. 9. n. 19. & 20. Sanch. l. 9. Matri. d. 12. à n. 13. & 17. & 21. Fagund. in 8. præcept. c. 25. n. 19. & 20. B. Aegid. Coning. de Censur. disp. 13. dub. 10. n. 91. Sanch. Suar. cit. C. Coning. cit. Sanch. cit. n. 31.*

X L I V. Contra hæc obijcitur I. Sciens suum factum prohibitum esse iure Ecclesiastico, etiam si ignoret pœnam tali facto esse constitutam, verè inobediens est Ecclesiæ, adeoque pœna dignus. Ergo hanc promerebitur, cò quòd culpam sequatur obligatio pœnæ. II. Ex nostra sententia sequitur ferè solos viros doctos incurere Censuras, quia alij plerumque eas ignorat. Imò fore, vt ignari pœnarum legis, in nullas incidant. III. cap. ult. de sent. Excom. significatur impuberes incurere excommunicationem, quam tamen credibile est eos ignorare. Resp. ad I. eiusmodi delinquentem non esse perfectè inobedientem Ecclesiæ, prout grauis censuræ pœna requirit, ideoque nec hac esse dignum. A. Ad II. resp. Concedendum esse, ob hanc causam plurimos indoctos excusari à censuris, non tamen omnes, quia multi varias norunt. B. Alteram consequentiam negamus, quod ad pœnam ordinariam & mediocrem attinet, delictòque iuxta eius naturam proportionatam; concedimus verò quod ad extraordinariam, & auctam ultra delicti nudè considerati naturam, propter frequentiam, aut alias eius circumstantias impositam; quales pœnæ sunt Censuræ. C. Ad III. resp. impuberes ob hanc causam communiter à Censuris excusari, at non semper, quia sæpe ingeniosi, & bene instructi norunt percussores Clericorum excommunicari; de quali excommunicatione impuberum illo loco loquitur.

A. *Mar. Alter. cit. B. Coning. cit. dub. 10. n. 92. C. Nauar. in Man. c. 27. tom. 274.*

X L V Afferimus VI. Non solum à censuris propriè dictis, videl. excommunicatione, Suspensione & Interdicto; sed etiam ab Irregu-

Afferio
VI.
Inuincibi-
lis ignor n-

tia poenarū
canonicarū
ab iisdem
excusat.

laritate aliisque poenis spiritualibus supra enumeratis, A. quando per
modum poenae irrogantur; excusare probabilem & inuincibilem ig-
norantiam, cum legis ipsius, tum poenae in legis violatorem decreta-
B. Hoc ut vniuersim affirmemus, suademur potissimum decreto illo
Iuris Canonici, quod iam ante adduximus ad confirmandam no-
stram sententiam, qua docuimus ignorantiam poenae excusare à Cen-
suris. C. In quo nimirum decreto cum absolute statuatur, *ignorantes non*
ligari sententiis &c. per sententias intelligunt Doctores, D. non solum
censuras proprie dictas, sed etiam Irregularitatem ex delicto, alias
que poenas spirituales. Quae cum reuera graues sint & extraordina-
riae, earum ignorantia aequè excusabit atque ignorantia censurarum.
Quamquam non diffitemur, si Doctorum auctoritatem, & diuersas lu-
ris Canonici decisiones spectemus, facilius concedi posse legis positi-
uæ simul & poenae ignorantiam, excusare delinquentem, ab eadem
poena, quam ignorantiam solius poenae. Quia tamen & hæc probabili-
ter excusat; E. assertionem nostram vniuersim sumptam, in praxi tu-
tam esse existimamus. F.

A. in *proem. c. 4. B. de ignorantia Iuris absolute docet Sanch. l. 9. Matrim.*
d. 32. n. 17. at de ignorantia solius poenae ait n. 21. eandem esse rationem irregu-
laritatis ex delicto, & aliarum censurarum. Sed de aliis poenis solum dicit esse
probabile, & oppositum probabilis censer. De poenis spiritualibus vniuersim fa-
uet Nauar. in Sum. c. 23. n. 47. vers. addo his. Vbi adiungit, hanc doctrinam posse
se solatio esse plerisque, maxime in materia Censurarum & irregularitatis. Deline a-
poenis admodum grauib; & extraordinariis consentit Laym. de leg. l. 1. tr. 4. l. 1. q. 1.
c. 20. n. 6. Caterum intelligenda est assertio nostra, non solum quando lex humana
na est purè poenalis, id est, quæ poenam infligit absque noua præceptione aut præ-
hibitione; sed etiam quando est mixta, hoc est, cum aliquid prohibet aut præci-
pit, & iuxta poenam irrogat contraueniendi. C. Thef. 40. D. Sanch. cit. 2. cor. non pe-
c. 15. q. 3. §. ad obiecta. E. ut videre est apud Sanch. cit. n. 20. F. Nimirum con-
formiter dictis in disp. de Humanar. actionum bonitate, Thef. 50.

Affertio
VII.

X LVI. Afferimus VII. Quando irregularitas, aliæque inhabilita-
tes, & actuum irrationes, non irrogantur in poenam delicti, sed ob
alium finem; tunc ab his nulla ignorantia seu iuris seu facti, excusabit
A. Quia eo nomine solum ignorantia eximit à poena, quia excusat
culpa si non in toto, saltem in tanto, ut loquimur; ergo si quocunque
alio titulo statuuntur prædictæ inhabilitates, etsi culpa delicti non po-
terit operantem liberare ignorantia. Quando verò ob culpam inae-
ran-

rantur, & quando sine culpa, ex propria cuiusque tractatione petendum est. Hic tamen breuiter aduerte; quod attinet ad Irregularitatem, cum ea definiatur: *Inhabilitas sine impedimentum canonicum, ex se directe & primario impediens acceptionem ordinum Ecclesiasticorum, & consequenter etiam usum illorum.* B. non difficulter ex ipsius iuris textibus colligi posse, quando ob solam decentiam aut significationem, ea irrogetur; aut quando in pœnam delicti; unde & nomen, *Irregularitas ex delicto*, accepit. Solùm notandum est; non quemcunque siue consciùm, siue ignarum legis pœnalis statuentis Irregularitatem, qui dat operam rei illicitæ, ex qua opus habens irregularitatem annexam sequitur, irregularem fore; sed eum solùm, qui conscius legis pœnalis ita dat operam rei illicitæ, vt præuiderit opus illud secuturum, nec debitam diligentiam adhibuit, ne illud eueniret. C. Excipe specialem casum in Iure expressum, D. dum videl. irregularitas irrogatur ob homicidium casuale, quando aliquis dat operam rei illicitæ specialiter interdictæ ob periculum homicidij, ex qua etiam omni adhibita diligentia, ne homicidium eueniat, si illud nihilominus sequatur, vacat operans culpa homicidij; fit tamen irregularis, eo ipso quod dederit operam rei tibi specialiter interdictæ. E.

A. *Sanch. cit. n. 15. cum Comm. B. Ita definit Suar. de Cens. disp. 40. sect. 1. n. 2. C. Suar. cit. disp. 45. sect. 6. & satis deducitur ex dictis de ignorantia in ordine ad culpam à Thes. 17. si conferantur cum iis, quæ modo de ignorantia in ordine ad pœnas retulimus.* Ex quibus tandem concluditur, veram non esse regulam, quæ aliqui illimitatè vtuntur dicentes: Ei qui dat operam rei illicitæ, ex qua sequitur opus prohibitum, ad culpam imputari, & ad pœnam, quicquid ex illa re illicita consequitur. Quia nisi præuiderit, aut non præcauerit morali diligentia, id quod ex re illicita sequitur, ad culpam imputari non potest, ergo etiam à pœnis excusabit. D. cap. vlt. de homicid. in 6. E. Suar. cit. num. 9. & 10.

XLVII. Ex duabus postremis assertionibus, nec non ex iis quæ supra generatim de inuincibili ignorantia tradidimus, A. Colligitur I. Bigamum, & eum qui iudicium sanguinis exercuit effectu secuto, fore irregularem, siue norit, siue non norit legem canonicam, quæ tales irregulares esse pronunciat. B. Quia lex ista pœnalis non est. II. Clericum excommunicatum aut suspensum, etsi grauissimè peccet exercendo actum sui Ordinis, at tamen non fieri irregularem, si inuincibiliter ignorauit esse iure canonico statutam irregularitatem in taliter delin-

quentem; quia hæc lex cum pœnalis sit, ignorata excusat. C. III. Petrum qui ignarus constitutionis Ecclesiasticæ, de non suscipiendis sacris Ordinibus ante legitimam ætatem, vel certè bona fide existimans se ætatem compleuisse, ante ætatem suscipit sacrum Ordinem, non incurrere suspensionem per Extrauagantem Pij II. ipso facto latam in eos, qui ante legitimam ætatem ordinantur. D. IV. Paulum, qui sufficienti cautela adhibita, ne hominem occideret, in ebrietate, vel venatione prohibita, casu interficit hominem, non incurrere irregularitatem, quamuis sciuerit homicidas esse irregulares. quia laborabat inuincibili ignorantia facti. E. V. Sin quispiam mandarit alterum iniuste percuti, & mandatarius excesserit mandatum, & occiderit, mandans reddetur irregularis, etsi diligentiam adhibuit ne percussio letalis esset. F. quia hic casus specialiter in iure expressus habetur. G. Hoc tamen intellige, si mandans sciuerit, aut vincibiliter ignorarit legem statuentem eiusmodi pœnam. Nam si eam inuincibiliter ignorauit, ab irregularitate excusari poterit, etiamsi percussione mandando peccarit. II.

A. Thef. 34. B. De indice sanguinis colligitur ex cap. Ex litteris de Excessib. Pralator. & c. I. dist. 51. & cap. sepe & can. His quibus. 23. q. 9. De Bigamo vero habetur cap. si quis & cap. maritum. dist. 33. & cap. curandum. dist. 34. C. ex dictis Thef. 45. D. Nauar. in sum. c. 27. n. 155. Suar. disp. 31. s. 1. n. 26. E. Suar. disp. 45. s. 6. cit. n. 14. F. Suar. cit. n. 10. G. cap. vlt. de Homicid. in 6. H. sequitur ex dictis Thef. 45.

XLVIII. Quod iam attinet ad Irritationem actuum per legem Canonicam, aduerte I. Leges irritantes tunc pœnales esse, quando irritationem inducunt in odium, seu vindictam delinquentis, vel culpæ. A. II. Pœnales non esse, quando irritant actum ad institutionem formæ seruandæ in contractu. B. III. Nec tunc pœnales esse, sed merè morales, & directiuas, quando prohibent actum, eumque irritant intuitu boni communis, vel priuatorum. Exemplum huius habemus in legibus irritantibus matrimonia inter consanguineos vel affines, vel inter cognatos spirituales: illa enim irritatio non est introducta in penam contrahentium, siue in delicti supplicium, sed per se, propter decentiam religionis, vel coniugalís honestatis. Huc etiam spectant professiones minorum, matrimonia clandestina, & similes actus ab Ecclesia annullati; C. qui propriè non sunt pœna, utpote quæ solum per accidens introducitur, seu per occasionem, ad cohibendum vel vindicandum. D. horum

Lex irritans
quando pœ-
nalis sit, &
quando se-
cus?

horum autem irritatio per se, ut dictum est, & ipsius honestatis causa imperatur. Nec obstat, quod talis irritatio quandoque cedat in nocuummentum alicuius; quia hoc fit indirecte & quodammodo per accidens, cum damnum illud non sit intentum à legislatore, ut ille puniatur.

A. Quod quidem aliquando satis apertum est, ex ipso textu Iuris, ut cum additur particula: In poenam, vel odium, vel iniuriam. patet in cap. cum secundum. de Præbendis. Aliquando verò sine his particulis, ex modo quo fertur sententia, intelligi potest, utrum irritatio poenalis sit. necne. B. Sanch. l. 3. Matrim. diff. 4. n. 8. & 9. C. Vide Concil. Trid. sess. 24. in decret. de Reform. matrim. & sess. 25. de Regular. & Monial. c. 15. & 16. D. teste S. Aug. relato in cap. Poenitentia. dist. 3. de Poenitentia.

X L I X. Circa leges irritantes poenales ulterius aduerte; differre inter se hæc duo: Irritatio actus & poena: & Effectio actus irriti punitur poena. Contingit enim per legem irritari actum, & præterea adijci poenam in eum, qui talem actum abs lege annullatum efficit seu exercet. Exemplum huius discriminationis patet primò in Simoniacis, qui præterquam quod illorum prouisiones, electiones, &c. irritantur, etiam excommunicatione, aliisque poenis feriuntur. A. Deinde patet ex eo, quod Ecclesia irritat matrimonium clandestinum, & insuper præcipit puniri sic contrahentes. B. Denique eadem Ecclesia, contra eos, qui res Ecclesiasticas à Dominis temporalibus impetrant & obtinent, decernit ut ea quæ obtinent, irrita habeantur, & obtinentes à Communione Ecclesiæ excludantur. C. Iam ergo lex sic irritans, simulque in eos, qui actus irritatos exercent, poenam statuens, secundam partem quæ poenam irrogat, poenalis est; secundum partem verò irritantem potest esse solum moralis & directiua. Quod palam est in lege irritante & puniente matrimonium clandestinum. Quo quidem actu, quando actus irritus sic punitur per legem, lex est poenalis secundum nouæ poenæ impositionem; sed hoc quasi accidentarium est, & aduentitium irritationi, & ideo eius ratio hic non habetur; sed consideramus legem secundum partem irritantem, quando dicimus illam aliquando moralem esse, & directiuam, aliàs verò poenalem.

A. Extrauag. de Simonia. B. Trid. sess. 24. de Reform. Matri. c. 1. C. cap. 2. de Rebus Ecclesiæ alienand. vel non alienand.

L. Atque existis partim assertis, partim animaduersis, deduci potest L. Quando Canon prohibet actum addendo irritationem per modum

dum pœnæ, si lex ignoretur ut irritans, licet non ignoretur ut prohibens, actum contra legem facitatum non esse irritum. Ratio sumitur ex dictis, quia pœnalis irritatio actionis est pœna gravis, infertque magnum grauumen; & ideo cum ignoratur inuincibiliter lex irritans, non reddet actionem irritam: non secus ac irregularitas, aut quælibet alia inhabilitas ex delicto, ignorata non afficit operantem. A. Dices Collatio Ecclesiastici beneficij facta ignorantem aliorum conventionem simoniacam, est nulla; B. & tamen est pœnalis. Ergo non est inuicibiliter verum, quod diximus, irritationem impediri per ignorantiam irritantis legis pœnalis. Resp. I. Hoc in simonia esse speciale, quia in Iure expressum est in detestationem illius vitij. Resp. II. Legem quæ irritat collationem simoniacam, in quantum irritans est, esse moralem, saltem respectu innocentis, de quo textus Iuris loquitur. II. Deduci potest: Quando lege fertur irritatio actionis per se in commune bonum, & simul in pœnam; tunc si cognoscatur lex secundum partem moralem, ignoretur autem secundum partem pœnalem & irritantem, non incurri in conscientia pœnam, nec actionem reddi irritam. Ratio est: quia dans operam facto damnato; & ignorans qualitatem, propter quam deberet magis puniri, excusatur a pœna illius qualitatis. C.

A. iuxta Theſ. 45. B. cap. Ex insinuatione. & cap. nobis fuit. de simonia. C. Felin. ad c. 2. de Constitutionib. & confirmatur ex can. Si quis cum duabus. 33. q. 2. Vbi ei, qui duas sorores cognouit, conceditur ut uxorem ducat, eo quod ignorauerit eas esse sorores. Prout Gloss. ibid. verb. Uxorem, interpretatur. Cum alio qui can. Concubuiſti. 32. q. 7. & can. Si quis cum matre. caus. 34. salu flagitijs. reum prius sit futuri coniugij. quod quidem ex ead. Glossa, pertinet ad eum, qui duas sorores sciens cognouit.

L I. Deduci potest III. Quando lex irritans est directiua & moralis, eam operari suum effectum impediendo valorem actus, etiam si per ignorantiam inuincibilem fiat; & hoc verum esse affirmamus, siue ignorantia sit de sola vi irritandi legis, siue absolute de tota lege. A. Vnde de matrimonia Clericorum, vel inter Consanguineos, vel affines nulla ignorantia validantur. Sicut nec matrimonium contractum sine Parocho & testibus, vbi Tridentinum est receptum. B. Obijcies. Irritatio quæ non est pœnalis, sæpe fit in gratiam contrahentis, estque adeo beneficium ipsius: at beneficium non confertur inuito, qualis est is, qui ignorat. Ergo saltem hoc euentu impedit ignorantia irritatio-
nem

nem actionis. Resp. I. Per potestatem superiorem beneficium etiam inuito conferri, quando illi vel communi bono expedit. Sic enim inuitus potest ab Excommunicatione, aliisque ecclesiasticis absolui, & dispensari in irregularitatibus. Resp. II. Ignorantem proprie inuitum & inuoluntarium non esse, sed esse non voluntarium positivum. Qui autem non rejicit favorem, licet non velit illum positivum, non priuatur illo. Secus si expresse velit renunciare favori, & ille sit favor merè priuatus. C.

A. Sanch. lib. 3. Matrim. disp. 4. & 17. B. Trid. sess. 24. c. 1. de reform. Matrim. C. cap. Ad Apostolicam. de Regularib. & cap. Tuis de Testibus. & Attest.

LII. IV. Deduci potest, quid iudicandum sit de impedimentis matrimonij, cum illis quæ matrimonium antecedunt; solentque vocari dirimentia (illa quæ solum illicitum reddunt, huc non pertinent) tum illis, quæ iam contractum, consummatumque sublequuntur; quæ non quidem dirimunt matrimonium, sed eius usum impediunt. Nam ad dirimentia quod attinet, dicimus duo ex illis quæ impedimenta criminis vocantur, pœnalia esse: videl. vxoricidium cum promissione contrahendi cum conscia, &c. A. Et adulterium cum promissione futuri matrimonij. B. Quare hæc inuincibiliter ignorata irritationem contractus matrimonialis probabiliter impediunt. C. Secus dicendum de reliquis impedimentis, videl. Consensus clandestini, consensus coacti & conditionalis, erroris, voti, & Ordinis sacri, cognationis, affinitatis, publicæ honestatis, ligaminis, impotentiae seu frigiditytis, raptus & cultus disparitatis; quæ vel ab ipso iure naturæ constituta, vel iure quidem Ecclesiastico introducta sunt, attamen non in pœnam, sed ob honestatem, decentiam, libertatem matrimonij, similesque fines.

Impedimenta matrimonij pœnalia inuincibiliter ignorata impediunt irritationem.

A. c. Si quis vivente. 31. q. 1. B. c. Relatum. 31. q. 1. & c. Veniens. de eo qui duxit in matrimonium, quam polluit. C. Ita consequenter fateantur necesse est auctores hactenus à nobis allegati, qui partim absolute docent ignorantiam ipsius pœnæ Ecclesiasticæ (salte graui & extraordinaria) excusare à pœna, ut nominatim Nauar. citatus Theol. 45. lit. b. partim verò asserunt ignorantiam probabilis legis, quæ eiusmodi pœnam statuit, sic excusare ignorantem; ut Azor. c. 15. q. 3. Sanch. lib. 9. Matrim. disp. 32. n. 17. & à fortiori Fagundez in 8. precept. c. 25. n. 17. partim denique affirmant legem pœnalem irritantem, siue annullantem, non afficere ignorantes; ut Sanch. lib. 3. Matrim. disp. 17. n. 11. Esse vero legem illam, quæ hæc duo impedimenta statuit, pœnalem, docet Laym. lib. 1. de Leg. tr. 4. c. 15. n. 5. & satis ex ipsis iuris textibus supra allegatis compertum est.

est. Imò & ipsum nomen insinuat; idcirco enim vocantur Impedimenta criminis, quòd ob crimen, adeoque in pœnam delicti, ab Ecclesia statuta sint. Licet verò & Raptus sit crimen, idque grauiissimum, tamen communiter non appellatur Impedimentum criminis, quòd inter raptorem & raptam Contractus matrimonialis videatur potius annullatus ob libertatem matrimonij, quàm in pœnam, cum alia grauisima pœna in raptorem lata sint: puta Excommunicatio, infamia, &c. de quibus Trid. sess. 24. c. 6. de Reform. Matrim.

L I I I. Quod attinet ad impedimenta matrimonij; pari modo dicimus, inuincibilè ignorantia siue Iuris, siue facti, excusare coniugē, qui cū suo cōiuge affinitatē aut cognationē contraxit, ne ipsi interdicatur debiti petitione. Vnde qui communem filium baptizat, aut tenet, ignorans per hoc contrahi cognationē spirituale; aut accedit ad suę cōiugis consanguineam, ignorans specialiter hoc ab Ecclesia vetitum, non priuatur iure petendi debitum. Et sic de alijs censendum. A. Dices: Impedimentum dirimens matrimonium contrahendum. At si copula iam contracto superuenit, impedit debiti petitionem. At si copula illa, ex qua oritur affinitas, aut actio ex qua oritur cognatio spiritualis, præcederent matrimonium, illud dirimerent, quamuis adfuisset ignorantia inuincibilis. Ergo si subsequantur, impediunt debiti petitionem. resp. Maiorem non esse vniuersaliter veram; idque vel inde patere: quia affinitas v.g. contracta per copulam violentam, & cognatio contracta baptizando filium communem in necessitate, si matrimonium antecedunt, id irritum reddunt; at cū subsequantur, non impediunt debiti exactionem. B. Quare Maior solum vera est, quando impedimentum propria culpa contrahitur, & à sciente legem Canonicam eiusmodi impedimentum statuentem.

A. Sanch. l. 9. d. 32. de Matrim. n. 43. 47. 48. 49. B. Constat ex c. Discretionem. de Eo qui cogno. consang. & c. Ad limina. 30. q. 1.

Casuum reservatio ordinariè non est pœnalis. dam peccatorum reservationem, cū ea communiter fiat, non tam in pœnam peccantis, quàm ad bonam Ecclesię gubernationem; nec non in medicinam cū præservationem, tum curatiuam; A. satis ex dictis constare potest, eam non tolli per hoc, quòd quis ignoret peccatum quod parat, esse reservatum. Si tamen constitutione aliqua peccatum in odium ipsius, & in pœnam delinquentis reservetur; vt fecit Sixtus V. contra malè promotos; ignorans inuincibiliter eam constitutionem, non incurreret hanc reservationem, quamuis se deliquisse norit. B. Dices;

Dices: per reservationem casuum tollitur Iurisdicção absolvendi; ergo ignorantia non efficit, ut absolutio illa sit valida. resp. Aliud esse in reservatione simpliciter facta, ut graviora delicta superiori reserventur; aliud verò de reservatione facta in lege penali. in qua cum reservatio sit pœna, non subsistit reservatio; adeoque non tollitur Iurisdicção absolvendi, quando lex penalis invincibiliter ignoratur. Ex his collige, reservationem Casuum in nostra Congregatione iuxta decretum Clementis VIII. factam, cum non sit pœnalis, sed medicinalis, & ad bonam Religionis gubernationem pertineat, etiam ligare ignorantem.

A. Francisc. Coriolan. tract. de casib. reservat. p. 1. sect. 1. a. 5. B. Sanch. l. 9. Matrim. d. 32. n. 18.

I. V. Quæ hæcenus de invincibili & probabili ignorantia Censurarum, aliarumque pœnarum Canonicarum ignorantia differuimus: eadem & de venialiter solum culpabili seu vincibili, & de Comitante (nisi hæc mortaliter culpabilis & vincibilis existat) ignorantia intelligi volumus. De illa quidem; quia ad graues pœnas & extraordinarias, quales illæ sunt, de quibus hæcenus egimus, requiritur aut certa scientia, aut certè mortaliter culpabilis, adeoque absolute vincibilis ignorantia, qualis venialiter culpabilis non est; quam proinde ad antecedentem revocare licet, saltem respectu culparum & pœnarum gravium. De hac verò: quia tametsi Comitans ignorantia habeat adiunctum in operante prauum affectum, ista tamen non influit in opus, propter quod Censura infligitur. v. g. Clericidij, cum te feram percutere putas, interim affectum gerens necandi Clericum: aut sacrilegij, cum putas rem profanam te furari, quam nihilominus auferres, si rem sacram esse scires. A. In his itaque, similibusque venialiter culpabilis, aut comitantis ignorantie euentibus, dicimus non incurri pœnas Ecclesiæ spirituales graues, quæ supponunt culpam mortiferam, maxime censuras. Nisi fortè Excommunicationem minorem, vel aliquam ab officio parui momenti suspensionem, etiam sub propriè dicto nomine censuræ comprehendi velis; quas sicut non negamus, ob venialem culpam infligi posse: ita ab eisdem fortassis ignorantia venialiter culpabilis non excusabit, qua in re hic non est immorandum. Grauior hoc loco quæstio decidenda manet. Nimir. Vtrum & quando mortaliter culpabilis, adeoque absolute vincibilis Legis Ecclesiasticæ, Censurarumque, ac reliquarum pœnarum spiritualium ignoran-

Ignorantia
venialiter
culpabilis
& Comitans
à pœnis cano-
nicis ex-
cusat.

tia peccantem excuset, ne in eas incidat? Vbi diligenter ab oculis habenda est distinctio Ignorantiæ, vincibilis, in mortaliter vincibilem, Crassam ac Supinam, & Affectatam. C.

A. Sanch. l. 9. Matrim. d. 32. n. 26. & 1. Moral. c. 16. n. 13. Henr. 11. Matrim. c. 10. n. 4. Vssy. l. 2. d. 136. n. 4. & satis deducitur ex Thes. 5. & 15. de Excomm. minori docet Coning. d. 13. n. 67. Auila 2. p. c. 5. d. 1. dub. 1. cum Comm. de suspens. sentit Nauar. in Man. c. 27. n. 165. C. Vide dicta Thes. 3.

Affectio
VIII.

Ignorantia
affectata &
Crassa, cui
iuncta est in-
gens teme-
ritas, nõ ex-
cusat à pœ-
nis.

LVII. Afferimus VIII. Si ignorantia seu Iuris seu Facti sit Affectata, non reddit peccantem à Censuris aut aliis pœnis immuniem; ne tum quidem, quando expressè irrogantur contra scienter facientes, aut presumes. A. Nam hæc ignorantia per se eligitur ad liberius delinquendum, & in Iure æquiualeat scientiæ. B. Quod verò de affectata ignorantia asseruimus, idem quoque dicendum de ignorantia adeo crassa, vt ignorare Ius vel Factum, sit ingens temeritas. C. Vt si exempli gratia in locum, in quo æquè homines ac feræ esse sciuntur, temerè conicias sagittam, non quidem coniecturus, si sciens hominem ferendum, attamen nulla morali diligentia adhibita, hominem occidas, erit ignorantia Facti coniuncta ingens temeritas; eaque propter ab irregularitate neutiquam excusabit, etiamsi ponamus, irregularitatem hic merè pœnalem esse, & non nisi in scienter peccantes constitutam. Sic quoque Iudex secularis, si furem quem nouit Clericum esse, gladio feriri faciat, sciens multis gaudere immunitatibus Clericos, attamen nulla adhibita diligentia ad inquirendum, vtrum tali facto sit annexa Excommunicatio, nequaquam ab hac liber euadet, etiamsi ponamus hanc Excommunicationem in solos ausu temerario & scienter agentes esse latam.

A. Henr. lib. 13. c. 23. n. 1. Sayr. Thesaur. Casuum l. 1. c. 18. Suar. disp. 4. scd. 10. n. 1. Sanch. l. 9. Matrim. d. 32. n. 40. cum comm. B. ex Gloss. cap. Eos qui. de Tempor. Ordin. in 6. C. Sanch. cit. n. 39. Et ratio est: quia cum hac ignorantia operantes censentur in dolo esse. Vnde et de S. Antonin. cap. 2. n. 9. de Constitut. ait, in Canonem, qui dolum requirit, incidere laborantem ignorantia in tantum crassa seu crassissima, que importaret latissimam culpam, ac dolo æquiparetur.

Affer. IX.

LVIII. Afferimus IX. Ignorantia vincibilis Facti, vel Iuris impotentis Censuras, vel alias pœnas graues, ac spirituales, excusat ab illis, modò non sit Crassa & Supina; siue statuantur Episcopi, siue summi Pontificis Constitutionibus. A. Supponit hæc affectio probabilem sen-

tentiam, quam initio huius Disputationis attigimus, *B.* de diuisione ignorantiae vincibilis, in eam, quae solum mortaliter vincibilis existit, & in eam, quae Crassa, & Supina est. Tamen si verò plures, ique graues auctores, non admittant aliam ignorantiam mortaliter culpabilem, praeter Crassam & Affectatam; & consequenter haud improbabiler affirmant, solum illam ignorantiam, quae à mortali excusat, excusare à poenis, à quibus alioqui Crassa seu supina non excusat, C. nihilominus, quando allata distinctio non caret sua probabilitate; *D.* ea tanquam probabili supposita, optinè procedit nostra assertio, quae probari potest ex cap. 2. de Constitut. in 6. supra à nobis allegato, *E.* in quo vniuersaliter dicitur, excusare ab omnibus sententiis quorumcunque Ordinariorum, ignorantiam, quae non sit Crassa, nec Supina: vbi etiam ostendimus, per sententias non solum Excommunicationem, sed quascunque poenas spirituales, cum ab Episcopo particulari, tum ab ipso met summo Pontifice irrogatas, esse intelligendas. Cæterum tamen si hanc sententiam speculatiuè probabilem esse iudicemus; quia tamen in praxi difficile est assignare, quando ignorantia mortaliter culpabilis sit, & non crassa vel supina, idcirco oppositam saltem in praxi tanquam probabiliorem sequendam censemus. *F.*

A. Sanch. cit. n. 31. B. Thes. 3. C. Suar. 3. p. tom. 5. d. 4. sect. 10. n. 10. Marius Alter. cit. Azor. c. 12. q. 1. diuis. 4. & communiter DD. ut ipse Sanch. mox citandus testatur. D. Sanch. cit. & l. 1. Moral. c. 16. n. 7. Iacob. Biderman. disp. de Censuris, Thes. 39. E. Thes. 40. & 41. F. Coning. de Censur. d. 13. dub. 11. n. 95.

LVIII. Afferimus X. Ignorantiam crassam, siue supinam, (dummodo ignorare non sit ingens temeritas) cum Iuris tum Facti, excusare à pena imposita *scienter aliquid facienti*, aut *presumentis aliquid facere*, vel denique *ausu temerario facienti*; secus dicendum quando absolute absque istis particulis, quasi limitantibus, poena irrogatur. *A.* Rationem primæ partis damus I. Quia quando Canon expressè aut tacite dolum petit, non sufficit crassa ignorantia, aut culpa lata; *B.* Sed cum Canon postulat scienter aliquid fieri, dolum petit. Ergo. II. Quando poena irrogatur scienter facienti, tunc intendit Ecclesia delictum expressè, & formaliter volitum, præmissa ipsius notitia; quod non contingit, vbi adest ignorantia etiam Crassa. Dices I. Idem est scire, & debere scire in moralibus. *C.* resp. Hoc verum esse quoad peccatum contrahendum, secus quoad poenas. Dices II. Ius ciuile ait ignorantiam crassam equiparari dolo. *D.* resp. Ius cum talia decernit, intelligendum esse de

quæ non est Crassa, excusatur à poenis Canonis.

Afferio X.

æquiparatione non in culpa, vel pœna, sed in obligatione ad reparandum damnum ex culpa consecutum. Nam qui negligenter, vel crasse ignoranter exercet ministerium suum, tenetur restituere damna inde enata, non minus, quàm si ex certa scientia fecisset. *Z.*

A. Sanch. cit. n. 36. 37. & 38. Suar. de legib. lib. 5. c. 12. n. 9. & 24. B. Ex l. sed etsi lege. §. si re. ff. de Perit. hered. ibi: Non puto esse prædonem, qui dolo caret, quamvis in iure erravit. C. l. quod te mihi. ff. de rebus creditis. in fine. ibi: Sed etiam si aliqua iusta causa sit, &c. D. l. i. ff. si mensor falsum modum dixerit. E. Gloss. in l. In actionibus. verb. Non etiam. ff. de in litem iurando. Et ratio est, quia hæc obligatio oritur ex Iustitia Commutativa, quæ respicit æqualitatem rei ad rem.

L I X. Alteram assertionis partem inde probamus, quia non dicitur propriè *presumens* ille, qui aliquid operatur ex ignorantia quantumvis crassa & supina, vel eo titulo, quod *presumere* dolum importet ac temeritatem. *A.* Hinc & tertia assertionis pars probatur; nempe quòd etiam *audacia* temeritatem inuoluat. *B.* Et *audax* præsumenti requiparetur. *C.* Quarta & postrema assertionis pars probatur. quia ubi dolus, aut præsumptio, aut temeritas non requiritur, ad incurrendam pœnam, sufficit ignorantia crassa & supina; cum præsertim id expressè Ius statuatur. *D.* Quæres: Vtrum quæ hæcenus de iuris, facti de ignorantia culpabili disseruimus, idem censendum sit de ignorantia solius pœnæ? resp. non esse quidem improbabile, in casibus quibus diximus ignorantiam iuris, aut facti, à pœna excusare; etiam solius pœnæ Ecclesiasticæ crassam vel aliàs mortaliter culpabilem ignorantiam excusare, etiam si Ius, factumve non ignoretur; E. attamen sententiam oppositam esse probabiliorē, maximè si loquamur de pœnis ab Excommunicatione, quæ grauissima est, diuersis. *F.* Non enim existimamus credibile esse, quod Ecclesiæ, ex cuius arbitrio res pendet, passim scienter in suas sacratissimas leges peccantes, velit hoc ipso à pœnis statutis eximios, quòd vel crasse supinèque easdem pœnas ignorent.

A. Siluest. v. Excom. 7. cas. 14. A. avar. in man. c. 27. n. 155. B. Gloss. l. si quis in tantam. verb. audaciam. Cod. Unde vi. C. l. Habita. cod. ne filius pro patre. ibi: vt nullus de cætero tam audax inueniatur, qui aliquam scholaribus iniuriam inferre præsumat. D. cap. vt animar. de Constitut. in 6. E. F. Sanch. n. 20. 21. & 50.

L X. Ex dictis infertur I. Minus benè aliquos sensisse, percussorem Clerici non incurrere excommunicationem latam in cap. Si quis suadente

dente diabolo. 17. q. 4. si crassa, & lata culpa ignorabat clericatum; eo quod ipsis is canon videbatur dolum requirere. Quia hoc recte aliis non probatur, dum dicunt sufficere latam culpam, seu ignorantiam crassam. Neque enim verba illa, *suadente diabolo*, dolum important, sed significant, ne licita sit Clerici percussio, ut v.g. causa correctionis. A. I. infertur ignorantiam cum facti tum iuris, quantumvis crassam, dummodo affectata non sit, aut iuncta cum ingenti ignorandi temeritate, excusare coniugem, qui affinitatem aut cognationem spiritua-lem cum suo coniuge contraxit, ne debiti petitione priuetur. B. Ratio est, quia hæc priuatio petendi debitum, est poena culpæ, C. & quidem irrogata scienter facienti. D. Ergo ignorantia non solum inuincibilis, & venialiter culpabilis, sed etiam crassa excusat, ne quis priue-tur iure petendi debitum.

A. Couar. c. alma mater. p. 1. §. 10. n. 16. Sanchez l. 9. Matrim. d. 32. n. 41. B. Sanch. cit. n. 47. & 49. C. Sanch. cit. & d. 30. n. 1. D. Ex cap. si quis cum filia-stra, de eo qui cognoscit consanguineam. Et ex c. si vir. de cognat. spiritual. ubi ignorantia excusans contraponitur malitia, quo denotetur malitiam, seu scientiam deside-rari ad penam priuationis debiti, quæ ibi decernitur, incurrendam. ut testatur Sanch. cit. n. 47. Et quamvis hi textus solum loquantur de ignorantia facti, quia tamen res est fauorabilis, & non deest Doctorum auctoritas, debemus quoque e-am doctrinam extendere ad ignorantiam iuris, ut in simili ostendimus supra Thef. 40. & 41.

LX I Infertur III. Ignorantiam facti excusare etiam, quando non penitus ignoratur factum, sed ignoratur quatenus ex eo oritur hæc poena, videl. priuationis ad petendum debitum. Exemplo sit coniux, qui accessit ad consanguineam suæ coniugis in secundo gradu, existi-mans eam esse in tertio gradu: (in quo iure nouo Tridentini non am-plius impeditur petitio debiti. A.) vel baptizauit filium alterius con-iugis, credens non esse filium, sed consobrinum; tunc non arcebitur à debiti petitione, perinde ac si consanguinitatem ignorasset; nisi foret ingens temeritas ignorare, aut esset ignorantia affectata. nam perinde est ignorare consanguinitatem, ac ignorare eius gradum, cui hæc pœ-na statuitur. B. Et hoc extendimus, etiam si coniux ex conscientia erro-neæ putaret sibi in gradu existimato interdictum debiti petitione. nam adhuc adest ignorantia facti, cui poena respondet, non con-scientiæ erroneæ. Sicut excommunicationem non incurreret percussor clerici, existimans inuincibiliter eum laicum esse, licet erronee

crederet percussorem laici excommunicationis vinculo innodari. C.
A. Trid. sess. 24. c. 4. de Reform. Matrim. B. C. Sanch. cit. num. 48.

CAPVT V.

IGNORANTIA IN CON-
tractibus.

QUæ hæcenus de IGNORANTIA disputauimus, ea ferè de ignorantia priuatiua tam habituali quam actuali, hoc est, de ea quæ habitu actûque simul priuat; de quæ inaduercentia & obliuione, quæ actu solum priuat; atque adeo de ignorantia malæ electionis intelligenda sunt. Quæquam suo modo etiam de errore siue ignorantia prauæ dispositionis accipi debeant. Quæ subinde dicemus, potissimum procedent de errore; licet quandoque etiam de ignorantia priuatiua, siue ut alij hic loquuntur, negatiua, intelligenda veniant. Comprehendemus porro hoc capite Contractus cum propriissime dictos, qui quod vltro citròque obligationem pariunt, onerosi vocantur; tum laxius sumptos, qui solum ex altera contrahentium parte obligationem inducere consueuerunt, & Gratuiti appellantur. Ceterum quia etiam sponsalia & Matrimonium contractus quidam onerosi sunt, etiam de errore, qui in his contingere solet, aliqua subiungemus.

Thesis LXII.

PRIUSquam nostras in hac materia assertiones statuamus, aliqua aduertenda sunt. I. Errorem vel ab intrinseco provenire, hoc est, ab aliqua mala persuasione illius, qui errat; vel ab extrinseco, quando videl. quis per alterius siue contrahentis, siue alicuius tertij dolum, in errorem inductus est. Hinc factum, ut Doctores, cum de errore circa Contractus agunt, etiam dolum coniungant, non quod error sit dolum, sed quod in Contractibus, ut plurimum ab extrinseco per dolum, error proveniat. II. Errorem & dolum respectu Contractus vel esse antecedentem, vel concomitantem. Quando est antecedens, dicitur dare causam Contractui, ita nimirum ut alter non contraxisset, nisi in-

teruenisset dolus, vel error. Quando verò est Concomitans, dicitur incidere in Contractum, admisceri, superuenire contractui, ita nimir. vt alter contraxisset quidem, si error non interuenisset, sed non tanto precio. III. Errorem, dolumque aliquando contingere circa substantiam rei; vt si vitrum putes esse gemmam: aliquando solum circa qualitatem; vt si putes hoc vitrum esse Venetum, cum sit tantum Mediolanense. His animaduersis

LXIII. Afferimus I. Quando error & dolus contingit circa substantiam rei, contractum iure naturæ fore irritum. Deest enim tunc substantialis consensus, iuxta Regulam; *Errantis* (circa substantiam) nullus est consensus. Ex quo fit, vt dolum faciens ad restitutionem obligetur. A. Quando verò error & dolus non est circa substantiam, sed circa qualitatem aliquam, contractus erit iure naturæ validus, modo dolus causam non dederit contractui. B. adest enim consensus ad contractum sufficiens: tum quia ad hunc non requiritur, vt emptor omnes rei qualitates norit, aut in omnes consentiat: tum quia non habet expressè aut tacitè animum huic contractui repugnantem. nam etiam si sciret rei qualitatem, nihilominus tamen vellet contrahere, quamuis non eo pretio. Vnde sequitur talem contractum altera parte nolente non posse rescindi, sed tantum debere ad æqualitatem reduci. Quod si verò deceptus omnino haberet voluntatem, vel formaliter vel virtualiter (non autem solum habitualiter) contractui repugnantem, nolletque contrahere, si sciret qualitatem aliter habere; tunc foret consensus conditionatus, adeoque ex defectu conditionis inualidus.

A. B. Comm. Doctorum. Aduertunt hic aliqui Auctores, quibus accedimus, probabilius esse, in hac materia contractuum, assertiones procedere non solum de inuincibili errore, & ignorantia, sed etiam si crassa laborans aliquis deceptus fuerit. Quia etsi ignorantia crassa in iure æquipolleat scientia in ordine ad culpam, & quandoque etiam ad pœnam contrahendam; in contractibus tamen hoc non valet. ita Sanch. l. 7. Matrim. d. 18. n. 7. & lib. 10. d. 9. n. 20. & 22. Adam. Tanner. tom. 3. d. 4. de iustit. q. 7. dub. 1. n. 15. & alij.

LXIV. Quando error circa qualitatem rei dat causam contractui, controuertunt Auctores, vt iure naturæ sit inualidus, nec ne? Qua in re tres reperimus sententias celebriores. Prima absolutè ait, iure naturæ esse inualidum. A. Altera absolutè vult esse validum, B. Postrema distinguendo docet; si error & dolus proueniat ab aliquo tertio, validum esse contractum. sin proueniat ab alterutro contrahente, ipso

iure naturæ nullum esse ex parte decepti, validum verò ex parte decipientis. C. In hac opinio[n]um varietate amplectimur secundam tantum. **Afferio II.** quam probabiliorem. Afferimus proinde II. Errorem siue ab alterutro contrahente, siue ab aliquo tertio, siue à propria persuasione proveniat, quando non est circa substantiam rei, sed circa qualitatem, etiam si det causam contractui, non esse iure naturæ invalidum. D. Et quidem quod attinet ad errorem ab aliquo tertio, aut propria persuasione ortum, non dissentiunt Auctores tertiæ sententiæ. E. Qui docent, si error proveniat ab alterutro contrahente, non esse irritum propter defectum voluntarij, sed propter iniuriam à contrahente alteri contrahenti illatam, eò quod *fraus siue iniuria nemini patrocinari debeat.* Nec dignum sit, ut quis lucrum de suo dolo reportet. F. Quæ iniuria cum desit in priore casu, erit ex eorum sententia consensus sufficiens ad contractum.

A. Ioan. Salas tract. de Emption. d. 27. n. 7. Comit. respos. moral. l. 3. q. 1. B. D. Leonard. Less. l. 2. de Iust. & Iure. c. 17. dub. 5. Coning. in 3. p. de Sacram. d. 23. dub. 9. Laym. de Iur. & Iust. tr. 4. c. 5. n. 6. C. Molin. tom. 2. de Iure & Iust. tr. 2. d. 352. E. Molin. cit. Sanch. l. 1. Matrim. d. 64. n. 5. Tanner. cit. n. 16. F. cap. 1. de eo, qui duxit in matrimonium.

L X V. Verum probatur nostra assertio uniuersim. I. Quia error vel dolus iste, cum non versetur circa substantiam, aut materiam contractus; sed circa causam contrahendi, quæ rei extrinseca est, & accessoria; non tollit sufficientem consensum ad naturam contractus, nec consensus ille absolute inuoluntarius est, sed tantum secundum quid ratione taciti dissensus, qui esset actu vel virtute, si error abesset. Quia tamen nec actu nec virtute est, sed solum habitu, non reddit irritum contractum. A. Neque his obstat, quod talis contractus dicatur aliquando in iure irritus; quia in iure sæpe dicitur irritum & invalidum, quod est irritandum. Erè contra, quandoque contractus à Iudice reuocatur, qui aliàs invalidus fuerat. B. Probatur II. Quia in iure datur actio ex empto ei, qui dolo venditoris inductus tigna cariosa aut peccus scabiosum emit: atqui iuxta receptum Iuris peritorum axioma, nunquam datur actio ex empto, quando emptio nulla est. C. Probatur III. Quia communi etiam aduersariorum consensu matrimonium validum est, etiam si error circa qualitatem dederit eius contractui causam. D. Ergo de aliis contractibus similiter dicendum, cum quantum ad hoc, non appareat sufficiens disparitas. Probatur denique IV. Quia si de-

si deceptus velit, deceptor tenetur stare contractu per dolum inito. E. Nec dicas, ad hoc sufficere, si contractus ex parte decepti sit validus. Nam cum contractus sit onerosus, vltro citroque, id est, vtrumque contrahentem obligat. Vnde licet iniuria, quam auctores tertiæ sententiæ allegat, sufficiat ad contractum irritandum, si deceptus velit (quod mox dicemus) attamen non sufficit, vt iure naturæ sit irritus. Addimus tamen I. Si deceptus expresse intenderet non contrahere, nisi qualitas, cuius error dat causam contractui, subsisteret, inualidum fore ex isto errore contractum; tunc enim deesset consensus, quem non nisi sub conditione illius qualitatæ præbuisset. F. Addimus II. Nisi qualitas illa, cuius ignorantia dedit causam contractui, habuerit rationem circumstantiæ substantialis, & non solum accidentalis; tunc enim contractus itidem foret irritus. nam ad substantiam emptionis, venditionis, locationis, &c. pertinet non sola rei venditiæ aut locatæ substantia; sed etiam sæpe ipsius qualitates, eò quod per venditionem alienetur, quicquid in re utilitatis est; & per locationem in conductorem transferatur vsus rei, & utilitatis ipsius. G.

A. Less. cit. B. Tanner. de iust. cit. n. 17. Less. cit. n. 31. C. leg. Iulianus. ff. de actionibus empti. D. Sanch. l. 7. matrim. d. 18. n. 18. & l. 10. d. 9. n. 20. Tanner. cit. n. 18. & tom. 4. d. 8. de Matrim. q. 3. dub. 2. E. Less. cit. n. 31. Tanner. de iust. cit. n. 20. Laym. cit. Molin. cit. n. 8. ex cap. 1. de Eo qui duxit. F. Sanch. cit. n. 21. Tan. cit. de iust. n. 14. de Matrim. n. 46. Qui notat perinde esse, siue conditio exprimitur verbis, sine mente contrahentis retenta sit. G. Vasq. 1. 2. d. 30. c. 4. n. 28. & 29. Vbi tamen videtur insinuare ignorantiam, quæ dat causam contractui, semper esse circa circumstantias substantiales. Quod si verum est, erit saluo meliore iudicio, hac controuersia de meliore loquendi modo.

LXVI Quanquam verò contractus, de quo modo egimus, non sit ipso iure irritus, si tamen pars contrahens decepit, debet contractus, si quidem ex natura sua non sit indissolubilis (vt est matrimonium) pro arbitrio partis deceptæ irritari, decipiensque deceptum in pristinum statum restituere, quod fieri potest etiam absque Iudicis sententia, eo ipso quod res per iniuriam extorta est. A. Sin dolus ab aliquo tertio fuit profectus, aut ipse contrahens sua persuasione errauit, sique contractus fuit gratuitus, potest pro arbitrio reuocari. B. Sin contractus fuit onerosus, tunc si res adhuc est integra; verius videtur deceptum non teneri in conscientia implere contractum, nisi forte per sententiam Iudicis cogatur. C. quod hæc videatur racita mens

contrahentium, non obligare se ad implendum contractum, si se deceptos deprehendant. Quando verò res non est amplius integra, ut si contractus iam utrinque, vel altera ex parte sit completus, tunc distinguendum est: vel enim alter contrahens erat conscius vitij seu defectus, vel non erat. Si non erat, tunc iura concedunt rescissionem, seu actionem *quanti minoris*, hoc est, ut tanto minus solvas, quanto minoris defectu vitio rem eras empturus. Iure tamen naturæ videtur etiam hic contractus omnino posse dissolui. Si verò fuit conscius, tunc pro arbitrio poteris contractum vel confirmare vel dissolvere, eo ipso quod alter, dum doli particeps fuit, tibi iniuriam intulit. D.

A. *Less. cit. dub. 5. n. 31. Tanner. de iust. cit. n. 16.* Quia vis & fraus nemini debet patrocinari. B. *Less. cit. Sanch. l. 1. matrim. d. 64. n. 5. & 7. C. Less. cit.* Solet enim in foro exteriori iudicari pro contractu, ne contrahentibus passim detur occasio fingendi errorem, & lites in immensum excrescant. Potest item ius civile ex legitima causa defectum consensus supplere, obligando contrahentem, ut stet contractus. Ita *Medin. q. 33. D. Less. cit.*

LXVII. Contra postremam assertionem obijci potest, quod communiter dicunt Iurisperiti, nimir. Contractus, quibus dolus partis causam dedit, si sint *stricti iuris*, esse validos, inualidos verò eos, quos appellant *bonæ fidei*. Ergo non videtur uniuersim verum, id quod asseruimus: contractus scilicet, quibus error seu dolus circa qualitatem dedit causam, esse absolute validos. Resp. I. Obiectionem non esse ad rem. nam dicimus illos contractus ipso iure naturæ non esse irritos, quicquid sit de iure civili. Resp. II. Distinctionem istam contractuum (quibus nimir. dolus partis causam dedit) *stricti iuris*, & *bonæ fidei*, forum pertinere ad forum externum: & esse validum vel inualidum, nihil aliud esse, quam dari aut non dari actionem in eodem foro ad rescissionem contractus. A.

A. *Less. cit. dub. 5. n. 31.* Dicuntur verò Contractus bonæ fidei, in quibus iudex multa potest discernere ex aequo & bono, de quibus inter partes conuentum non fuit. Stricti autem iuris dicuntur, in quibus decernitur ex rigore legis, vel ex rigore passionis, seu conuentionis facta inter eos, qui contraxerunt. Ita *Couar. in Reg. Possessor. p. 2. §. 6. Laym. h. 3. de iust. tr. 4. c. 3. n. 4.*

LXVIII. Iam quæ uniuersim hæctenus de errore in contractibus disputauimus, si nominatim ad SPONSALIA referamus; Assertionem III. Si error personæ sit, irrita per illū ipso iure naturæ Spōsalia redduntur. di. 4. Quia ut paulò post videbimus, error personæ, in proposito, est error

Error in
Spōsalibus.

error circa substantiam, qui semper contractum facit esse inualidum. Sin error sit *conditionis*, non quidem iure naturæ, sed Ecclesiastico, Sponsalia irrita facit. B. Sin sit error solius *qualitatis*, & non dederit causam contractui, Sponsalia ipso iure non sunt irrita. C. Sin denique error qualitatis dederit causam contractui, & dolus datus sit per alterum contrahentem, existimant aliqui probabiliter, Sponsalia esse irrita. D. Sed nos vti supra generatim probabilius esse docuimus, contractus, quibus error circa qualitatem causam dedit, non esse inualidos; siue deinde error vel dolus ab altero contrahente, siue ab aliquo tertio, siue à propria persuasione proueniat; ita de Spōsalibus quoque affirmandum censemus. E. Hinc si aliqua corrupta, Virginem se simulet, aut cum paupercula sit, se fugat diuitem, itaque alium inducat ad contrahendum secum Sponsalia; qui si corruptam aut pauperem nouisset, non contraxisset; Sponsalia neque naturæ neque ciuili iure sunt irrita, & ideo ex illis orietur publicæ honestatis impedimentum. Quamuis dolo detecto possint irritari. F. non, secus atque de aliis contractibus sic initis, itidem superius ostendimus. G.

A. *Comm. B. Coning. d. 31. dub. 2. Sanch. l. 7. d. 19. n. 16. Et sumitur ex Thef. sequenti ubi dicemus, matrimonium ex errore, Personæ & conditionis, sic irritum esse. Ergo etiam sic irrita erunt Sponsalia. Siquidem impedimenta matrimonij dirimentia etiam dirimunt Sponsalia: exceptis impedimentis a-tu; impubertatis & clandestini consensus. C. Sanch. l. 1. d. 64. n. 6. D. Sanch. cit. n. 3. E. F. Coning. d. 28. dub. 9. n. 72. & 73. G. Thef. 64. & 65.*

LXIX. Error quoque in MATRIMONII contractu triplex generatim statuitur. I. in *Persona*, vt quando Iacobo volenti contrahere cum Rachele; supponitur Lia. II. In *Conditione*; vt cum Titius liber ducit Caiam, ratus esse ingenuam, cum sit serua. III. In *qualitate*; vt cum Sempronius ducit Bertam, ratus esse nobilem, formosam, Virginem, diuitem, cum sit plebeia, turpis, corrupta, pauper. Afferimus IV. Errorem solius qualitatis, etiam si per alterius dolum fiat, ex se non irritare matrimonium. Quia contractus matrimonij non versatur circa qualitates personarum, sed circa personas ipsas contrahentes. Idque verum esse dicimus, etiam quando error circa qualitatem dat causam contractui. A. Excipe I. Nisi qualitas in qua erratur, apponatur per modum conditionis in ipso contractu, quo initur matrimonium. Necesse tamen est, vt intentio apponendi talem conditionem sit vel actualis vel virtualis. Actualis erit, si eam contrahens expresse habeat; Virtualis, si

Error in
Matrimo-
nij Con-
tractu.

Affer. IV.

eam actum habuit, nec per contrarium actum reuocauit. non verò sufficit merè habitualis. B. Excipe II. Nisi error qualitatis redundet in errorem Personæ. Quia his duobus euentibus matrimonium ex errore contractum, erit nullum: in priore quidem, quia consensus conditio- natus deficiente conditione est irritus; in posteriore verò, quia erra- tur circa substantiam. C.

A. Sanch. l. 7. Matrim. d. 18. n. 18. Tanner. d. 4. de Iust. q. 7. dub. 1. n. 18. B. C. Sanch. cit. n. 21. & 25. Tanner. cit. Et de Matrim. d. 8. q. 3. dub. 3. n. 46. & 47. Quando verò error qualitatis transeat in errorem personæ, fusiè docet Sanch. cit. a. n. 25.

Affertio V. L X X. Afferimus V. Errorem Personæ, quantumuis crassum, iure ipso naturæ irritum reddere matrimonium. A. Quia cum hic error sit circa substantiam contractus, non secus faciet matrimonij contractum irritum, atque ab errore circa rei substantiam, quemlibet alium con- tractum irritum reddi superius ostendimus. B. VI. Afferimus, Errorem

Conditionis; si nimirum putes liberam, cum serua sit, quæ cum contra- his; reddere irritum matrimonium, C. non quidem iure naturali, sed Ecclesiastico. D. Est verò duplex genus seruorum: alij enim sunt, & dicuntur mancipia, in quos dominus plenum habet dominium, siue vt vendat, siue vt operi cuiuscunque applicet; Alij dicuntur Adscriptitij siue Originarij, qui vendi nequeunt, cum cætera sint liberi, excepta obli- gatione colendi agrum v. g. & exceptis aliquibus effectibus seruituti- nis. vt est, ne liberi eorum sint habiles ad ordines, aut ad vitam mona- sticam inuitis dominis. Et de prioribus solum assertionem intelli- gimus; quia hi soli habent obstacula vsui coniugali & bono prole aduersa, cum possint ad nutum dominorum quocunque ablegari, quam in seruis adscriptitiis locum non habent. E.

A. Comm. verum per errorem personæ non intelligas errorem solius nomi- nis, vt si contrahas cum Berta, putans vocari Caiam. Quod si simpliciter in- tendas contrahere cum presenti, quacunque illa tandem sit, ratus interiri esse Caiam, cum sit alia, validè contrahes. B. Thes. 64. C. Comm. D. s. Tho. q. 52. Supplem. a. 1. ad. 3. cum Comm. E. Siluest. v. Matrim. 8. q. 2. Sanch. l. 7. d. 19. num. 9.

CAPVT VI.

IGNORANTIA IN VOTIS ET
Iuramentis.

CVM VOTVM & IVRAMENTVM (promissorium intellige, nam assertorium ad rem presentem non facit) vel ipsa contractus quidam sint, quibus se homo vel DEO ipsi, vel alteri homini obligat; vel contractus humanos seu onerosos seu gratuitos firment, roborentque etiam de ignorantia siue errore, qui istis se admiscere quandoque assolet, nobis agendum est. Vbi tamen ex instituto de errore in votis differemus. Quæ deinde ad errorem circa iuramenta, facili negotio applicari poterunt. Hæc enim ferè pari passu currunt; ut propterea necesse non sit de iuramentis seorsim tractare.

Thesis LXXI.

IN Votis emittendis, quatuor modis accidere potest error aut ignorantia. I. Circa substantiam, siue substantiales rei promissæ circumstantias. Siquidem ad voti substantiam moraliter pertinere censentur etiam difficultates exequendi illud, similisque circumstantiæ notabiles, maioris siue momenti. A. II. Circa accidentales, minorisque momenti circumstantias. III. Circa ipsam vim & obligationem voti. IV. Circa vouendi causam. Rursus hæc ignorantia, siue error contingere potest vel circa ea quæ antecedunt, aut comitantur rem voto promissam, dum idem votum emittitur: vel circa ea quæ post votum eueniunt, quæque ex rerum mutatione confurgunt. Præterea in materia votorum, quæ habent rationem voluntariæ dispositionis, non segniter aduertendum est, ad id, ut quis obligationem incurrat, vel ab eadem eximatur, non tam esse spectandum, quid faceret, aut non faceret, si hanc vel illam circumstantiam præuidisset, quam quo animo fuerit, quamue intentionem habuerit, aut quem finem spectarit, cum voueret. Quippè longè aliud est, te ita aliquid velle, ut si nosses circumstantiam quandam aliter se habere, non velles; & velle te id conditionaliter, si nimirum hæc vel illa circumstantia subsistat. Prior namque ille voluntatis modus non semper innuit, te nolle id absolute, si cir-

Error in votis quadruplex.

cum-

cumstantia aliter se habeat: sed tantum indicio est, fore ut id nollēs, si circumstantiam nollēs. At posterior includit expressum actum non volendi, circumstantia aut conditione, quæ mente aut verbis concipitur aliter sese habente. B.

A. *Sancti. l. 3. Moral. c. 2. n. 3. Less. lib. 2. c. 40. d. 2. B. Valent. 2. 2. d. 6. q. 6. p. 4. Et. d. 5. q. 20. pun. 4. Vasq. l. 2. d. 30. n. 25. Ubi rectè notat, fallacem esse hanc quorundam regulam: Agens si talem conditionem sciret, non faceret: ergo actio eius voluntaria non fuit, ac proinde non induxit obligationem.*

Affertio I.

Error circa
substantiam
voti.

LXXII. His animaduersionis, Afferimus I. Ignorantiam privatiuam (aliq. negatiuam vocant) si sit circa substantiam rei voto promissæ, reddebat votum irritum. Quia hæc ignorantia tollit sufficientem deliberationem, facitque adeo inuoluntarium, vel certè non voluntarium. A. Vnde si edidisti votum Religionis, nesciens in ea esse abstinentiam à rerum proprietate, non obligaris voto. Nisi implicite saltem habuisses voluntatem te ipsum obligandi ad omnia ea, ad quæ se aliq. tali voto obligare solent. Si verò talis ignorantia solum versetur circa conditiones, seu circumstantias rei promissæ annexas, votum valebit. Ut si votum edidisti ingrediendi ordinem Carthusianorum, ignorans in eo obseruari perpetuam abstinentiam à carnibus, absque vilo errore contrario, teneberis voto. Quia qui absolute aliquid vult sine examine vel scientia, an habeat hanc vel illam conditionem, censetur simpliciter illud velle, cuiuscunque conditionis sit: eò quod conditio seu circumstantia occultata per ignorantiam, implicite sit volita in obiecto proposito, à quo non fuit exclusa. Igitur sicut illud voluntarie vouet, sic etià hæc consequenter vouisse censebitur nisi eam excludat. B.

Affertio II.

LXXIII. Afferimus II. Si ignorantia sit positiua, hoc est, cum errore contrario circa materiam Voti, vel Iuramenti; non tantum si sit circa substantiam rei promissæ, sed etiam si sit circa circumstantias adeo graues, & notabiliter obiectum immutantes, ut moraliter ad substantiam rei pertinere videantur, tunc votum & Iuramentum erit irritum. A. Rem exemplis declaremus. I. Vouisti ire Ierosolymam, credens eam tantum distare 30. diebus, cum distet 100. Vouisti amplecti Ordinem Carthusianum, persuasus in eo esse esum carniū, cum non sit. Vouisti Religionem Benedictinam, credens in ea non esse stabilitatem loci, sed transmissionem ab vno ad alterum Cœnobium. Vouisti ingredi

ingredi Monasterium, in quo persuasus es vigere disciplinam, cum tamen essentialia, aut alia principalia non seruentur. Vouisti Titio dare largam elemosynam, quem existimabas pauperem, cum sit dives. In his ac similibus casibus, errore detecto, voto non es obligatus. B. Secus dicendum si deceptio, vel error, interueniat circa conditiones leuioris momenti, siue circa circumstantias accidentarias vel impertinentes. Vt si vouisses ire ad Eremum B. Virginis, credens eam distare horis 12. cum distet 14. aut Ierosolymam, putans distare dies 98. aut 99. cum distet 100. Aut vouisti ingredi monasterium, quod putabas loco ameno situm, cum sit in montibus. Talis enim ignorantia, vel error, non impedit valorem voti; quia hic parum pro nihilo reputatur, ideoque moraliter non creditur esse sufficiens ad mutandam voluntatem, adeoque ad impediendum votum. C.

Error in circumstantia
voti acci-
dentaria.

A. Sanch. cit. n. 11. Laym. lib. 4. tr. 4. c. 1. n. 5. B. C. Vasq. 1. 2. d. 30. c. 4. n. 26. Sanch. cit. Less. de Inst. l. 2. c. 40. dub. 2. n. 11. cum Comm. Et de iuramento peculiariter id docent DD. in cap. Veniens. de Iurciurando. Debet verò rei, circa quam erratur, grauitas, aut leuitas, perpendi non absolute, sed respectu ipsius materiae voti. Potest enim fieri ut modicus error in vno voto, sit magnus in alio. Vt si vouisti peregrinationem ad locum, quem putas distare centum horis, modicus error est, si distet adhuc decem; grandis verò, si vouisti ad locum quem credebas distare viginti, & distat triginta.

LXXIV. Asserimus III. Quando votuens errore ductus, putabat votum non obligare; aut hoc ignorabat, quia de eo nunquam cogitauit, nec id audiuit; voto talis non obligabitur. Et idem de iurante esto iudicium. Quia reuera nullam obligationem per verba voti talis sibi imponere intendit, sed id solum enunciare, quod per illa verba significatur, credens ea non obligare, aut ea obligare ignorans. A. Quod intellige I. nisi ignorans promissionis naturam, velit ea intentione promittere, qua cæteri promittunt. quia tunc implicite & virtute se obligare vult; & ideo per talem intentionem censetur ignorantiam depellere; quemadmodum in materia de Sacramentis doceri solet, generalem intentionem sufficere ad conficiendum Sacramentum, non obstante priuato errore. II. Intellige: nisi ignorantia sit vincibilis, quando nimirum dubitans de obligatione, verba voti protulit. Eo ipso enim quod aduerrens ea verba sic serio protulit, voluit saltem virtute aut implicite, quicquid inde obligationis confurgit. B. Nec obstat quod alibi diximus, C. Ignorantiam vincibilem circa substantiam

Asser. III.
Error circa
obligatione
voti.

Contractus æquè irritare contractum, atque inuincibilem. Nam ea ignorantia est circa materiam contractus; hæc autem, de qua loquimur, non materiam voti, sed eius obligationem pro obiecto habet. Et sanè negandum non est, si quis rectè iudicans de materia contractus, solum existimaret vincibiliter, ex contractu nullam consergere obligationem, eius contractum validum fore.

A. Sanch. l. 4. Moral. c. 1. n. 26. Less. de iust. l. 2. c. 40. dub. 2. n. 11. Vbi idem sentit, si quis crederet votum solum obligare sub veniali, aut ab ipso vouente, scilicet negotio relaxari posse. B. Sanch. cit. C. In notis ad Thef. 44.

Error in
causa finali
voti.

L X X V. Ad errorem circa causam finalem voti, seu iuramenti, quod attinet; haud levis est difficultas; dum Auctores non satis distinguunt, de qua finali causa loquantur, cum finis voti alius sit internus, qui nimirum est tribuere DEO cultum debitum, qui non potest non intrinsecè concurrere ad omnem actum Religionis, qualis actus est votum. Alius verò sit externus, isque varius ac multiplex iuxta vouentis intentionem. Vt ergò mentem nostram aperiamus, prius aduertendum monemus, quæstionem hanc: *Utrum error in causa finali irritet votum?* non procedere de fine interno. De huius enim errore nemo dubitare debet, quin irritet votum, cum sit error circa substantiam. Vt si putares votum tuum pertinere ad finem merè profanum; nec Deum eius executione honorari. Quæstio igitur est de fine externo. Quem in hac materia vniuersim geminum statuere possumus: Vnum quem vouens intendit tanquam à DEO impetrandum, vt voti mercedem seu præmium; vtque ad eod votum, vel voti executio in ratione voti ac Religionis, sit medium ad finem illum, tanquam præmium impetrandum. Vt si voueas peregrinationem pro salute patris, quem putasægrotare. Alterum quem vouens intendit, non vt voti præmium à DEO expectandum, sed alio modo: siue deinde sit principaliter intentus, siue secundariò; vt si voueas ingredi Religionem, eo fine vt peruenias ad prælaturam, persuasus te à monachis eligendum, aut ire voueas ad limina Apostolorum, vt inuisas ibidem fratrem. A. Et vt hac in re non recedamus à communi modo loquendi, quo vtuntur Auctores, possumus priorem finem absolute vocare, *Causam finalem*; posteriorem vero, *Causam impulsuam*. B.

A. Sic melius videtur reliquis *Causam finalem*, de qua hic controuertitur, explicare Less. cit. B. Ita ex Comm. appellat Sanch. l. 4. moral. c. 2. a. n. 38. Vbi n. 39. rectè notat, utramque causam verè finalem esse. Sed inter impulsuam, & alie-

alteram finalem, hoc discrimen ponit, quod illa supponat animum determinatum ad opus, & tantum impellat ad promptius operandum. hæc verò voluntatem sic determinet, vt ea seclusa actus non fieret. Quæ doctrina nostra reipsa non videtur repugnare, sed altera alteram explicat, si conferantur.

LXXVI. Iam igitur Asserimus IV. Quando erratur in finali causa Affer. IV. voti, hac deficiente, votum erit irritum. A. Ratio est: tum quia peregrinatio v.g. pro salute parentis vota, si is non ægrotarit, aut iam obierit, non est medium ad illum finem, cum hic sit impossibilis. Ergo error finis redundat in voti, seu materiæ voti substantiam. Tum quia in hoc euentu votum habet tacitam conditionem cum restrictione ad talem finem. Ergo conditione non existente, cessat voti obligatio. B. Quod si erratur in causa solum impulsua, ea deficiente, non irritatur votum. C. Ratio est: quia quando votum vel voti executio, vt sic, non est medium ad impetrandum finem à DEO tanquam præmium, tunc error non redundat in voti substantiam, nec tam attenditur quid moueat ad votuendum; quam quid absolute sciens & volens promittas. Nec refert, quod ita sis affectus, vt non voueres, si scires te decipi circa causam motiuam; quia hic affectus reipsa nihil operatur contra votum, cum sit merè habitualis. Sicut si des eleemosynam pauperi, putans esse probum, cum sit improbus, valida est donatio, etiam si non dedisses, si sciuiesses fuisse improbum. D. Verum est, si actualement, aut virtualem voluntatem haberes non vouendi peregrinationem in Urbem, nisi illic frater existeret, tunc non valiturum votum, si frater Romæ non sit; quia tunc votum est conditionale. Quemadmodum è contra, votum non erit irritum, si actu vel virtute velis nihilominus vouere peregrinationem, quam cogitas pro salute patris inire, etiam si pater iam obierit, aut nunquam ægrotarit.

A. Sanch. cit. n. 45. B. Less. cit. Quod si quandoque in eiusmodi erroris, circa causam finalem, euentu, dispensatio, seu commutatio à summo Pontifice facta refertur, censendum est eam non fuisse absolute necessariam, sed datam ad maiorem cautelam, & pacificandam conscientiam. Eiusmodi casus habetur in cap. Magna. de voto. de quo Sanch. cit. n. 43. quanquam dubium esse potest, an casus ille de causa finali, an solum de impulsua procedat. C. D. Less. cit. Aduerte: si dubium sit, vtrum causa sit finalis, an solum impulsua, & votum absolute fuerit emissum, iudicandum esse in voti fauorem, quod proinde obligabit.

LXXVII. Hactenus de ignorantia & errore circa ea, quæ votum aut iuramentum antecedunt, aut comitantur, disseruimus. Restat vt pauca

paucā dicamus, de iis quæ votum aut Iuramentum subsequuntur. *Afferio V.* Quare afferimus V. Rebus post emissum votum notabiliter mutatis, desinere voti obligationem. *A.* Pro hac assertionē confirmanda, solent à Doctōribus tradi duæ regulæ, quarum vna est: *Nemo per votum obligatur ultra id, ad quod se obligare voluisset, si id aduertisset, quando voto se obstrinxit.* Altera est: *Id liberat à voti obligatione, quod si à principio accidisset, aut notum fuisset, impedisset voti emissionem.* Verum utriusque hæc regula fallit, si vniuersim accipiatur, & sine limitatione. Sin recte limitetur & applicetur, ad rem facit, & assertionem confirmat. Nam prior falsa est, si intelligatur de quacūque rei promissæ mutatione; aliās enim omnes promissiones, votaque omnia cessarent, cum nunquam non eueniat aliqua rei mutatio. Vera erit, si intelligatur de mutatione rei promissæ ad eodē notabili, ut eam quasi in alio statu constituat, & videatur res diuersa ab ea quæ promissa est, & ad quam vouens intendit se obligare. *B.* Posterior quoque regula fallax est, si ita intelligatur, quasi quicquid vouentis voluntatem à vouendo retraheret, si euenturum præsciretur, si postmodum eueniat, excuset à voti obligatione. Vera erit, si sic intelligatur; quod nimirum omne id; quod ante votum reddidisset materiam promissam inhabilem, ad eiusdem voti obligationem inducendam, si post superueniat, illud inualidum reddat. *C.*

A. S. Tho. 2. 2. q. 110. a. 3. ad 5. cum Comm. B. Henriq. l. 11. de Matr. c. 14. n. 1. Molin. tom. 2. de iust. & iur. disp. 272. Vbi ait hanc mutationem notabilem arbitrio prudentis definiendam, spectatis quantitate & qualitate mutationis rerum, collatæque mutatione hac cum re promissa seu vota. C. Emm. Saa. v. votum n. 19. Vnde sicut non valeret votum, quando materia ab initio esset mala vel indifferens, vel simpliciter impossibilis, aut maius bonum impediens, ita si quæ erat ab initio legitima materia, postea fiat mala, indifferens, impossibilis, aut maius bonum impediens, efficiet, ut cesset obligatio voti vel iuramenti.

LXXVIII. Ex dictis regulis sic explicatis, facile est deducere varios casus. Nam *I.* Quando superueniens impossibilitas, siue impedimentum voti vel iuramenti implendi, est perpetuum, cessabit prorsus eius obligatio. Ut si singulis iustis vouisti ire ad limina Apostolorum, postea incidis in morbum incurabilem, liberatus eris à voti impletionē. *A. II.* Idem dicendum, quando difficultas superueniens non erat rei promissæ intrinseca, & in ipsius substantia inclusa, sed est noua, notabilēque mutationem in re promissa adferens. Secus si difficultas non sit admodum grauis. *B.* Hinc si adolescens vouisti Religionem,

eam non teneris ingredi factus senex, & ad onera Religionis ferenda impar. idque etiam si culpa tua neglexeris ante senium votum implere; aut etiam si te Monachi admittere velint. C. III. Quando vouens nequit ob impedimentum superueniens implere totum votum, tenetur ad partem, quando non per modum vnius, sed diuisiuè res voto promissa est. D. Vnde si vouisti ieiunium vnius diei certæ, & illo die ob superuenientem infirmitatem non potes abstinere à cœna, potes tamen abstinere vsque ad prandium, non obligaris voto, aut ad prandium vsque abstinere. Sin vouisti ieiunium trium dierum, & vno ieiunare potes, cæteris non obligaris vno die ad ieiunandum. E.

A. Melin. tom. 2. d. 272. ner. 2. B. C. Sanch. l. 4. moral. c. 2. n. 29. & 30. Et sic explicandus est Abb. in cap. Non est. de Voto. n. 6. dum absolute ait, difficultatem superuenientem non excusare à voto. Est enim intelligendus de difficultate non admodum graui & notabili. Posset fortè etiam intelligi de difficultate intrinseca, qualis frequenter euenire solet in voto simplici Castitatis; in voto ad loca sancta, &c. quæ non tollit voti obligationem. de qua Less. l. 2. c. 40. dub. 2. n. 13. D. S. Tho. in 4. d. 38. q. 1. a. 3. quest. iunc. 1. ad 3. Siluest. v. votum. 2. q. 1. Nayar. in Sum. c. 12. n. 39. Valent. 2. 2. disp. 6. q. 6. punct. 4. versic. secundum, quod notari debet. E. Sanch. l. 1. r. moral. c. 19. a. n. 4.

LXXIX. IV. Quando cùnque materia voti à principio fuit bona & legitima, postea verò ob circumstantiam occurrentem, redditur mala, aut maius bonum impediens; v.g. vouisti omnibus feriis sextis ieiunare; sed iisdem diebus occurrit faciendum maius bonum, quod ieiunium non compatitur; vt est ministrare in Xenodochio valde indigentibus; aut te ipsum ægrum reficere esu carniū, &c. Tunc si hæc mutatio materiæ sit perpetua, extinguetur omninò prior voti obligatio. Si autem sit temporaria, votumque habeat tractum successiuum; aut non fuerat alligatum tempori; suspendetur pro tunc voti obligatio, sed eo tempore transacto, cessante illo materiæ defectu, voti obligatio redibit. Quod ipsum de aliis quòque impedimentis, & mutationibus non perpetuis, dicendum est. Vt si vouisti peregrinationem, non ad certum tempus, & interea viæ infestæ sunt redditæ; suspendetur executio, vsque dum itinera secunda reddentur. A. V. Quando quis eo affectu fuit tempore voti, vt nulla futura rerum mutatione præuisa, retraheretur à vouendo, obligabitur voto quacùnque mutatione aut difficultate subsecuta, dummodo possibilis maneat res promissa, & legitima voti materia. B. VI. Denique, quando dubium est an muta-

tio superueniens sit tanta, vt deobliget, iudicandū erit in fauorē voti, à cuius parte stat possessio, quando de voto legitimè emissō constat. C.

A. *Sanch. l. 4. moral. c. 2. n. 24. Less. l. 2. de inst. c. 40. dub. 1. n. 8. vide dicta in notis ad Thef. 77. B. C. Sanch. cit. n. 33. & 34.*

Error in voto solenni. LXX. Quæ hætenus de errore vouentis disseruimus, partim de solis votis simplicibus intelligenda sunt, partim etiam ad vota solennia pertinent. De quibus peculiariter, asserimus VI. Errorem circa

Asser. VI substantiam votorum solennium, si sit *antecedens vel comitans*, hoc est, si antecedat vel comitetur rem voto promissam, non secus irritare eiusmodi vota, atque in simplicibus fieri assolet. A. Vt si te existimes professionem emittere in familia S. Benedicti, profitearis in familia S. Dominici: aut existimes in Monasterio, in quo stabilitatem voues, seruari substantialia regulæ, cum secus accidat, inualida erit professio.

Asser. VII. B. Asserimus VII. Vniuersim loquendo nullum errorem circa finem extrinsecum (multò minus circa alias circumstantias accidentarias) quem in votis simplicibus *Causam finalem* appellauimus, & contra *impulsuam* distinguimus, C. irritare vota solennia. D. Loquimur de voto solenni absolute, & absque actuali aut virtuali alicuius conditionis restrictione edito. Ratio est: quia Professio solennis, cum inuoluat statum fixum & indissolubilem, non debet eius electio & talis voti nuncupatio delumi dependenter ab aliis rebus, præter eas quæ sunt de ipsius status substantia. Alioqui enim sequeretur, multas professiones fore irritas; quod cederet in graue damnum Reipublicæ. Ex quo fit, vt absoluta voluntas emittendi professionem, eo ipso quod versetur circa statum eiusmodi perpetuum, & à sciente talem statum emittatur; includat voluntatem saltem virtuales vel implicitas status illius eligendi, etiamsi erraret in quantumcunque magnis circumstantiis eiusdem status. E. Asserimus VIII. & postremo, Nullas difficultates aut mutationes superuenientes deobligare à votis solennibus, eo ipso, quod, vt mox dictum est, per hæc status fixus & indissolubilis eligatur. Ex quo apparet, non immeritò à quibusdam vota simplicia Sponsalibus, quæ variis de causis dissolui possunt; Professionem verò solennem Matrimonio, quod itidem fixum & indissolubile est, comparari.

Asser. VIII.

A. *Comm. B. Sanch. l. 10. Matri. d. 9. n. 21. C. Thef. 75. D. E. Sanch. cit. n. 20. Less. cit. d. 2. n. 10. Laym. lib. 4. tr. 4. c. 1. n. 5.*

OMNIA AD MAIOREM DEI, DEIPARÆQUE VIRGINIS,
SS, Galli & Othmari, Cælitumque omnium gloriam.

AD



REVERENDIS, RELIGIO-
sis atque Doctissimis Domi-
nis defendentibus

Ignorantiâ pessimum malorum,
Ausim dicere, maximum malorum,
Addo & terribilissimum malorum est,
Vulnus grande recalcitrantis Adæ,
Vulnus grande inobedientis Eux,
Plus Pœantiadæ nocens sagittâ,
Hydræ tartareæ cruore tincta.
Vulnus mille Machaonas requirens;
Omnes quod petit & petiuit omnes,
Quam latè patuit, patétque latè!
Hoc de vulnere disputationem
Vos intelligo velle propalare.
Et laudo studium, probóque, lætis
Prodite auspiciis, fugate vulnus,
Huic estote Machaones sagittæ.
Morbi est prima salus, fuitque semper,
Morbi ritè sciisse *Qualitatem*.

Honoris & amoris ergo posuit

P. ATHANASIVS Gugger, Monaste-
rij S. Galli Professus, Rosaci pro tem-
pore Humanitatis Professor.

E I S.

EISDEM.

S I fortè, flauas iam, segetes suas
 Ruris colonus messuit impiger,
 Persæpe sub dio relinquit,
 Excoquat vt magis hascè Phœbus.
 Nimbofus Auster cum subitis agros
 Humectat vndis, in Cererem furens,
 Messore frustra conquerente,
 Se pluuias fore *Nescisse*.
 Sic pene miles, fors cui per vices,
 Vt castra seruet peruigil, obtigit,
 Sed victus imbelli sopore,
 Stertere dum geminas in aures
 Securus audet, datque patescere,
 In castra tutum sic iter hostibus;
 Hoc se velut scuto tuetur :
Nescieram foret hic quòd hostis.
 Hinc nempe passim cognitus omnibus,
 Tritusque vulgò versiculus venit:
 Per frigidum ignauiumque verbum
Nescio quæque rogata solui.
 Doctum cietis vos modò prælium;
 Mens est tueri *Nescio*, nec tamen
 Id *Nesciendo* sed *sciendo*
 Vos modò *Nescio* disputatis.
 Hoc grande factum denique iudico,
 Hoc laude dignum censeo maximà;
Nescire quòd possitis ambo
Scire per egregium tueri.

P. OHTMARVS Frey.
 F. ÆGIDIUS à Waldeckkirch.
 F. MEINRADVS An der Almend.
 Monasterij Murensis Professi, Condiscipuli
 EIS-

EISDEM.

Τῆς ὑπὸ ἀγνοίας τιθέναι θέσιν ἡμῶν
Ἐμμεναι ἔδυνάται μακροτέραφι θέσις.

F. MARCVS Erler, Monasterij
S. GALLI Professus,
Συμμαθητής.



EISDEM.

Εἰς τὴν ἄμμον ἰδὲ καταβαίνει ζεύγος ἀδελφῶν
Ἐυγενὲς ἀγνοίας τῆς διάλεξιν ἔχειν.
Θαυμασὸν πλὴν ἀλλὰ θέσεις προτεθήκατε τόιας,
Ἰσχύειτ' ἐξ ὧν παρὲς μείζονα δόξαν ἔχειν.
Πλὴν φρονίμως ἐπὶ τῶνδε λογιζόμεν ἀνδάνει ὑμῖν,
Τόφρα ἀνοίγητε γνώσιν ἀριστότερον.
Εἰδότες ἔνγε σοφῶν τῆς γνώμης τῆγε παρόντος
Ἀντιθέτε μάλλον φαίνεται ἀντίθετον.

IOANNES Hunzikofer Wilensis,
Συμμαθητής.

ERRATA



ERRATA.

Pag.	Lin.	Erratum.	Correctio.
2.	27.	potiue	potius.
11.	5.	angendarum	agendarum.
14.	16.	effectu	affectu.
35.	17.	ignorat	ignorant.
42.	8.	post impedimenta	adde vsus.
46.	30.	dele	vel.
47.	5.	percusso	percussio.
51.	17.	utilitatis	utilitas.

*Cetera beneuolus Lector facile
corriger.*